**IOACHIME . BEATISSIME**

MARIAE . VIRGINIS . DEI . MATRIS . PATER

EN . ITERVM

POST . ANNI . LAPSVM

SOLLEMNIA . HONORI . TVO . INSTAVRANTVR

TVVS . HIC . CVLTORVM . CHORVS

E . FAMILIA . VINCENTII . PATRIS . LEGIFERI

ENIXE . ABS . TE . PETIT

VTI . SIES . SOSPITATOR . PRAESENTISSIMVS

**D. N. LEONI. XIII. P. M.**

QVI . TE . NOMINE . ET . VIRTVTE . REDDIT

DEVS . TE . EXORANTE . ET . AVSPICE

EVNDEM . SINAT . ORBI . CHRISTIANO

SECVNDVM . OMNIVM . ORDINVM . VOTA

DIV . INCOLVMEM . PRAEESSE

DAVID FARABULINI
Antistes Domus Pontificiae.

# E S. RITUUM CONGREGATIONE

**Vicariatus Apostolici Se-Ciuensis Sept.-Occidentalis.**

R.mus D. Iulianus Maria Dunard Episcopus titularis Calaën. et Vicarius Apostolicus Se-Ciuensis Sept.-Occidentalis, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII humillime exposuit in suo Vicariatu ex vetusta consuetudine adhiberi amictus, albas, tobaleas altarium, necnon corporalia et pallas tela quadam confectas, quae vulgo *Hia-pou* nuncupatur. Quamvis autem ob pauperta-tem missionariorum et ob deficentiam telae ex lino compositae Apostolica Sedes aliquando in-dulserit pro sacris supellectilibus telam bom-bycinam seu ex gossypio, usus tamen invaluit alterius telae *Hia-pou*, quae ex planta a peritis historiae naturalis *Urtica nivea* et in lingua si-nensi *Ho-ma* appellata, et ad familiam lini per-tinente, provenit. Quare idem R.mus Orator i-psum SS.mum Dominum Nostrum enixe rogavit ut usus praedictae telae, cuius exemplum su-biecit, pro sacris supellectilibus, in suo Vica-riatu Apostolico continuari legitime possit.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefe-cto, audito etiam voto Commissionis liturgicae, attentis peculiaribus expositis adiunctis, iisque

perdurantibus, de speciali gratia benigne precibus annuit, dispensando a lege et usu telae lineae adhibendae in casu et ad effectum de quo agitur, atque consuetudinem vigentem in memorato Vicariatu Apostolico ratam habendo et in posterum permittendo; servatis de cetero servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iunii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus*

DIOMEDES PANICI *Secretarius.*

## II.

### BASILEEN. ET LUGANEN.

R.mus Dominus Leonardus Haas Episcopus Basileen. et Luganen. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit, nimirum: In quibusdam locis dioeceseos Basileensis et Luganensis extat inveterata a saeculis consuetudo circumferendi in processionibus theophoricis, praesertim die festo SS. Corporis Christi, statuas vel reliquias Sanctorum ad maiorem solemnitatem. Quum vero haec consuetudo minime respondeat ritui Romano, imo speciali S. R. C. Decreto 17 Iunii 1684 prohibeatur, praefatus Episcopus die 12 Iunii anno elapso monitum ad clerum dioecesanum direxit huius tenoris: « Me-

minerint RR. Parochi prohibitum esse (S. R. C. 17 Iunii 1684) ne instrumenta Passionis Domini, vel Reliquiae vel statuae Sanctorum circumferantur in processione SS. Sacramenti, quia totus cultus in iisdem ad Venerabile Sacramentum dirigi debet ».

Quum vero nonnulli parochi, et praesertim Capitulum Canonicorum Collegiatae Ecclesiae ad S. Leodegarium *Lucernae* exoptent ut antiqua consuetudo continuari possit, saltem ex Apostolica dispensatione, idem Episcopus, praedictis votis expositis, solutionem sequentis dubii ab ipsa Sacra Congregatione efflagitavit, nimirum: Utrum in festo SS. Corporis Christi eiusque Octava, quando fit processio cum SS. Eucharistiae Sacramento et in aliis processionibus Theophoricis, liceat deferre imagines B. Mariae Virginis ac Sanctorum?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis liturgicae, reque accurate perpensa, proposito dubio respondendum censuit: Serventur Decreta, praesertim in una *Veneta* 17 Iunii 1684 et in altera *Almerien.* 31 Ianuarii 1896. Atque ita rescripsit, die 1 Iulii 1898.

C. Card. Mazzella *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

**Nota.** Decretum in una *Veneta* n. **1731** (3059) declarat in solemni processione SS.mi Sacramenti Eucharistiae, tam in festo

Corporis Christi, quam in maiori hebdomada, non licere deferri Instrumenta Passionis Domini. Alterum in *Almerien.* declarat, non licere in honorem Beatae Mariae Virginis aut Sanctorum, deferre SS. Eucharistiae Sacramentum et etiam Imagines sive Reliquias ipsius Beatae Virginis ac Sanctorum. Doctrinam huius recentioris Decreti exponentes (*Vid. an. 1897, pag. 662 et 663, IV*) diximus, nihil prohibere delationem Imaginum Deiparae et Sanctorum in processione Sacramenti tamquam comitantium Christum triumphaliter deferendum. Decretum enim in *Almerien.* spectabat processionem in honorem Deiparae, et iuxta *Ephemerides* inversionem ordinis praeseferebat delatio SS. Sacramenti quasi ad Deiparam honorandam, ut ex dicta dispositione concluserint, inferri non posse prohibitam esse Imaginum delationem sive Deiparae sive Sanctorum in processione SS. Eucharistiae, dummodo debitus servaretur ordo. Verum interpretatio nostra non arrisit S. R. Cong.ni, cuius sapientia ita praefatum Decretum interpretata nunc est, ut praefatae Imagines in processione SS. Sacramenti deferri nequeant. Hinc quae hac super re diximus pro non dictis habeantur et, uti revera est, verum habeatur oppositum.

# ARCHAEOLOGIA SACRA

(*Contin. num. praec. pag. 419 et seq.*)

## III.

### De Christianorum Officiis

1. Ethnici christianos calumniabantur dicentes ipsos reipublicae inutiles esse. Tertullianus omnium nomine respondebat: *Infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanae, aut Indorum Gymno-*

*sophistae sumus silvicolae et exules vitae. Meminimus gratiam debere nos Deo Domino Creatori. Nullum fructum operum eius repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus hoc saeculum. Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamur et mercatus proinde miscemus. Artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus non scio* (Apologet. Cap. XLII).

Itaque Christiani artes suas habebant, et quidem non tantum illas, quae maioris videbantur momenti, ac ab hominibus pluris fiebant, sed etiam illas quae viliores existimabantur. Sciebant enim qualemcumque statum bonum et honorabilem esse, dummodo in illo placere Deo possent atque Illi cum sanctitate, et iustitia servire. Dominus Salvator dives erat, ex davidica stirpe ortum duxerat, nihilominus pauper esse voluit et operando cibum et vitae necessaria habere. Ita et Apostoli manibus suis operantes cibum quaerebant. Cur ergo ipsi, qui Salvatorem sequuti erant, Apostolos imitantes, erubescere debebant statum in quo divina voluntas eos collocaverat, quique a Salvatore nobilitatus fuerat? Sed illos status proprii, etiamsi vilis iuxta communem aestimationem, non pudebat. Gloriabantur vocari *operarii*. Apud gentiles vox *operarius* vox contemptus erat. *An quidquam stultius*, scribit Cicero, *quam quos singulos operarios barbarosque contemnas, eos esse aliquid putare universos* (Tuscul. V, 36)? Christiani e contra uti et in vita, ita et post mortem, de arte, quam tractaverant, gloriabantur, eiusque memoriam relinquebant in propriis funerariis inscriptionibus.

Praeclarissimus De Rossi inscriptionem evulgavit, ad quamdam mulierem pertinentem, quae gloriatur *operariam* esse, atque titulum hunc tanquam laudis atque virtutis considerat.

DEPOSSIO IVNIANI PRI. IDVS APRILES MARCELLINO ET PROBINO CONSS.
QVI BIXIT ANNIS XL IN . PACE DECISSIT ET AMATOR PAVPERORVM (*sic*) BIXIT
CVM BRGNIA ANNIS XV . BENEMERENTI BIRGINIA SVA BICTORA
BENEMERENTI FECIT AMATRIX PAVPERORVM ET OPERARIA

2. Plura adsunt monumenta ex quibus colligitur Christianos omnes artes exercuisse, etiam viliores. Iuvat ea referre, saltem aliqua.

RVFVS TABELLA
RVS DEPOSTVS IIII IDVS
DEC

*Rufus Tabellarus depositus quarto idus Decembris.* (Ex Coem. Ostriano).

LOCVS FORTINATI
CONFECTORARI

*Locus Fortunati confectorari.* (Ex Coem. Cyriacae in via Tiburtina).

DE BIANOBA
POLLECLA QVE ORDEV BENDET DE BIANOBA

*De Via Nova, Pollecla quae ordeum vendit de* (in) *Via Nova* (Ex Coem. Domitillae).

HIC POSITVS EST SILBANVS MARMORARIVS
QVI AN XXX ET FECIT CVM VXXORE AN. III
ET MENSIS III DEPOSITVS IIII KAL IVLIAS

*Hic positus est Silvanus marmorarius, qui* (vixit) *annos triginta et fecit cum uxore annos tres et menses tres : depositus quarto calendas iulias.* (Ex ignoto Coemet.).




*Locus Donati, qui manet in Sebura maiore ad nimfas* (sic) *lintearius, bisomum* (sibi fecit). (Ex Coem. Cyriacae).

*Benemerenti Primitivo qui vixit annos triginta, lanius.* (Ex Coem. Callixti).




*Locus Adeodati porcinari et Acutulae ; sibi vivi fecerunt.* (Ex Coem. Domitillae).




*Felicissima Oliaria* (Ex eodem Coem.).

CVCVMIO ET VICTORIA
SE VIVOS FECERVNT
CAPSARIVS DE ANTONINIANAS

*Cucumio et Victoria se vivos* (sic) *fecerunt ; capsarius de Antoninianas* (sic) (Ex Coem. Callixti).

In Coemeterio Pontiani ad *Ursum Pileatum* inventa fuit a cl. Wilpert inscriptio, ad quemdam fidelem, nomine Sabinum, pertinens, qui fuerat *artis ispeclariae*, seu artem vitrariam exercuerat. Subtus inscriptionem adspicitur sculpta serra, et aliud instrumentum dubium, ad latus fenestra relativis vitris munita. En inscriptio :




In Coemeterio Callixti alia inscriptio inventa fuit in qua legitur :

VALERIVS PARDVS
FELICISSIMA CO. F.

Iste Valerius *hortulanus* erat, uti eruitur ex figura hortulani quae in inscriptione designata est.

Item notissimi sunt sancti fratres Crispinus et Crispinianus, qui cum essent nobiles romani, Urbe relicta, Noviodunum petiere, ibique artem sutoriam fecerunt.

In *Passione Ss. Quatuor Coronatorum* narratur martyrium quinque fidelium, in Pannonia commorantium, quorum nomina sunt, Cladius, Castorius, Simphorianus, Nicostratus, Simplicius. Erant omnes sculptoriae artis. Itaque, iuxta scriptorem praedictae *Passionis*, ipsi incidebant aquilas, leones et alia animalia : imo et *Victorias et Cupidines*, ad petitionem Imperatoris, et *Simulacrum solis cum quadriga* inciderunt. Nam ad cultum praedictae sculpturae non pertinebant, sed tantum ad ornatum. Cum vero iussi sunt statuam *Aesculapii* incidere, cum ista ad cultum gentilium pertineret, nullo pacto obedire voluerunt ; ideoque in arcis plumbeis clausi in flumen Savum demersi fuerunt. Et ita martyrium consummarunt.

3. Una cum his artibus vilioribus Christiani exercebant artes nobiliores, uti iurisprudentiam, medicinam, militiam, etc. Ad primam pertinebant Minutius Felix, qui scripsit « *Octavius* » : Senatores Hippolytus et Apollonius, Tertullianus etc. Ex inscriptionibus cognoscimus alios fideles, qui iurisprudentiae operam dederunt. Sequens fragmentum inventum fuit in Africa in quodam christiano templo prope Tabesam :

HIC E . . . .
VS . . . .
MEMO . . . .
APOSTOL . . . .
BEATI EMERI
TI GLORIOSI
CONSULTI

Et in alio templo item prope Tabesam aliud fragmentum inventum fuit, quod absque dubio ad eumdem Sanctum Emeritum refertur. In linea secunda legitur :

HC MEMORIA BEATI MARTYRIS DEI CONSULTI . . . .

Ex quo colligi potest, martyrem Emeritum fuisse *gloriosum consultum*, qui postquam ecclesiae iura verbo et scriptis strenue defendit, postea etiam sanguine suo ea firmavit.

Quod attinet salutarem artem plura cognoscimus nomina fi-

delium, qui illam exercuerunt. Celeberrima est inscriptio, quae legitur in opere cl. Wisemam « *Fabiola* » nempe

ΔΙΟΝΥCΙΟΥ
ΙΑΤΡΟΥ
ΠΡΕC ΒΥΤΕΡΟΥ

*Dyonisius medicus* et *praesbyter*.

Alia inscriptio a Boldetti inventa fuit, sequentis tenoris :

LIMENIO MEDICO FRATRI CA
RISSIMO Q VIXIT ANNOS XXXIII
MENSES III DIE . . .

Ita Medici fuerunt Ss. Cosmas et Diamianus, S. Pantaleo, aliisque quos praetermittimus.

Nunc dicendum venit de fidelibus, qui militiae adscripti fuerunt; sed cum materies ampla sit, ad numerum venturum rem mittimus.

(*Continuabitur*) (*iba*)

# QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

## SUPER SACRIS RELIQUIIS.

### VIII.

Mos est in quadam Collegiata Ecclesia exponendi diebus solemnioribus sacras Reliquias inter altaris candelabra, et quidem praecipuas ac pretiosiores. Hae autem consistunt in aliquibus

particulis ex velo almae Virginis, ex clavis vel quibus fuit cruci Christus affixus, vel qui ex contactu cum illis sanctificati fuerunt, ex spinis quibus coronatus fuit idem Dominus etc. Praeterea in medio altari lignum SS. Crucis exponitur: cumque amplior non sit pro eo exponendo locus, super ipso tabernaculo in quo continetur Sacramentum, collocatur, quod veluti pro basi inservit, sicut ipsi Cruci, ita SS. Crucis Reliquiae. Hanc autem consuetudinem, quae multis ex clero arridet, multi quoque improbant; sive quia praefatae Reliquiae, cum insignes sint, decet ut veluti ad ornatum inter candelabra collocentur, sive quia in solemniori Missa thus illis adhiberi nequit prout tantarum Reliquiarum dignitas exigit. Insuper plures conqueruntur de loco Reliquiae SS. Crucis, cui vetitum dicunt, ut tabernaculum pro basi inserviat. Denique alii dicunt, Crucem non esse in Missa thurificandam ob verae Crucis ligni praesentiam, cui thus adoleri necessario debet: alii vero autumant, utrique esse thus adolendum. *Quaeritur:*

1.° *Sacrarum Reliquiarum expositio antiquitati ne conformis est Ecclesiae, seu latinae seu Graecae?*

2.° *Legibus liturgicis respondet ne expositio Reliquiarum inter candelabra altaris, seu Sanctorum, seu eorumdem Reginae, seu Christi Domini?*

3.° *Crux altaris, aut SS. Crucis lignum col-*

*locari ne licite potest super tabernaculo servante rem sacram ?*

4.° *Quid censendum de incensatione Crucis et SS. ligni Crucis, vel alterutrius in solemniori Missa, ut in casu ?*

## SOLUTIO

**Ex dissertatione Rev. Dom. Decii Botti Pont. Seminarii Romani alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam die 16 Martii 1898, acta Epitome per R.mum Dom. Oresten Aloisium Can. Borgia.**

I. Sacrarum Reliquiarum expositio antiquitati ne conformis est Ecclesiae, seu latinae seu graecae ?

Si cui unquam datum est illa invisere loca, quae felici quadam locutione incunabula cruenta appellata sunt christianitatis, catacumbas videlicet, si cui datum est sacras evolvere paginas priorum Ecclesiae Patrum, testium de visu super iis, quae referunt, et quorum opera usque suaviter olent, ob eximiae veteris virtutis fragrantiam; ille profecto dicere poterit de magnitudine et vetustate cultus Sacrarum Reliquiarum, cuius ardor, S. Ioannis Chrysostomi aevo, eo usque pervenerit, ut sacrorum corporum inquisitio ab eo appellari potuerit *renatio* (*Serm. in Ss. Iuvent. et Maxim.*). Mirum non est tantam potuisse prioribus illis temporibus haberi curam de Martyrum Reliquiis, exploratum est enim, sub legum tutela tum extitisse sepulcra ; unde Martyrum exuviae ornari interdum splendidis potuere monumentis, ipso persecutionis fervore. Pulchrum erat visu, etiam liturgia absoluta, splendere sepulcra lampadibus, in Sanctorum honorem collucentibus apud *fenestellam confessionis*.

At si cultus in genere Sacrarum Reliquiarum tanta antiquitate gaudet, quid de earum expositione dicendum sit inspiciamus. Ut res magis clarescat, seorsum eam in Ecclesia occidentali, et in orientali considerabimus.

Prout iam alias in hac Academia notatum fuit, Ecclesia romana Martyrum sepulcra ita custodiebat, ut nihil inde de sacris corporibus auferretur. Quae extra sepulcra venerabantur Reliquiae, vel quas fideles in suis domibus custodiebant, vel etiam *sinu gestabant*, ut ait Prudentius, erant, ut plurimum, parva linteamina Martyrum sanguine tincta, catenarum seu instrumentorum supplicii abrasiones, vela ad sepulcra admota, oleum lampadarum de quibus mox diximus, etc. (Ferrandi, *Disquisitio Reliquiarum pag. 448 et seqq.*). In graeca Ecclesia e converso possideri et venerari cito coeptum est sacrorum corporum particulas et ossium. Ita Caesarii uxor, anno 397, in sua possidebat domo duabus thecis argenteis inclusas, Sanctorum XL Martyrum Sebastae Reliquias.

De his cl. De Rossi disserens, ad rem meminit legationis Comitis Iustiniani, ad Summum Pontificem Hormisdam anno 519 missae. Ibi legitur, legatos Iustiniani, cum Papae retulissent illum principem Basilicam aedificasse in memoriam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, cum illius nomine rogasse, ut vellet ei pro dicta Ecclesia Reliquias eorumdem Ss. Apostolorum necnon Martyris S. Laurentii concedere. Praenotaverant autem talem petitionem esse *secundum morem Graecorum*, requirebantur enim particulae Corporum Sanctorum, sciebant quippe opponi *consuetudinem Sedis Apostolicae*, ex qua, nec aperiri quidem permittebatur sepulcra Martyrum seu ad ossa inspicienda, seu etiam ad ea alio transferenda. Hic meminisse proderit illius eventus, de quo in *Actis sinceris* agitur, « de translatione S. Saturnini Tolosani Ep. et Martyris ». Huius Sancti corpus, anno 250 perempti, *sub rile*

*coespite* occultatum fuerat. Episcopus Hilarius, ut honorem illi exhiberet, Basiliculam aedificandam desuper curavit, quin inde amoveret, *Sanctas veritus commovere Reliquias*. Postquam autem Ecclesia publica pace gavisa fuit, novam et *pulchram et speciosam* aedificare coepit Ecclesiam, ut venerandi Martyris Reliquias illuc transferre tandem posset. Is tamen translationi praemortuus est. Successor vero, dum ad opus manus admovere studebat, monitus fuit *nullam* sineret *fieri vel diminutione cinerum, vel commotione membrorum spiritibus iniuriam*. Ita, prioribus saeculis post persecutiones, ne corpora Sanctorum dimoverent, parati erant fideles potius architectonicae artis placitis non obtemperare, et legibus magis notis euritmiae derogare. Docet sane, inter alia documenta, epigraphe Honorii Pp. I, in codice Einsidlensi asservata, sepulcrum S. Pancratii in sua vetusta Basilica, positum mansisse oblique ad navim : *ex obliquo aulae iacebat*. Quod idem et oculis nostris perspectum habere possumus in S. Alexandri Basilica, via Nomentana, in qua ex obliquo Martyris sepulcrum relictum fuit.

Hinc sequitur usque ad IX saeculum in Ecclesia Romana morem Sacras Reliquias exponendi, non debere admitti. Quamquam veteres quodammodo Sanctorum corpora exposuisse recte dicantur si considerentur velut exposita sepulcra ipsa Sanctorum, quae uti altaria habebantur ad sacrosanctum sacrificium celebrandum, quin tamen unquam sacras Reliquias extrahere praesumeretur ; unde monebat S. Ambrosius (Epist. 85, *De inventione Martyrum Processi et Martiniani*) : « Succedant victimae triumphales in locum, ubi Christus hostia est ; sed ille super Altare, qui pro omnibus passus est, isti sub Altare, qui illius redempti sunt passione. Locus iste Martyribus debebatur. » Et hoc verum esse confirmatur ex eo, quod, si sepulcrum in pariete ipso exeitum fuisset, ad illud oculis exhibendum.

Altare vacuum relinquebatur, constituebatur nempe ex sola mensae tabula, duabus, aut quatuor, seu etiam unica mediana columella sustentata. Exemplum praebet sepulcrum S. Symphorosae et Septem Filiorum Martyrum ad nonum ab Urbe milliarium via Tiburtina detectum. Hic ab antiquo sepulcrum sub dio erat. Super illud, pace nondum parta, cella tricora erecta fuit, et cum, post Ecclesiae triumphum, succrescens fidelium veneratio maiorem Basilicam erexit, Martyrum Reliquiae amotae non fuere, sed in anteriori aedificio remanentes, ex alia parte opportune visibiles factae sunt aperto muro ex utroque abside contiguo.

Haec itaque viguit disciplina usque dum, ad ipsas sacras Reliquias ex impiorum manibus defendendas, per Romanos Pontifices initium sumpserunt celebres illae translationes ad urbanas Basilicas, quae eo usque progressae sunt, ut loca illa, quae Martyribus tutum, pluribus saeculis, praebuerant asylum, fere expoliata permanserint. Primae translationes, ut etiam cl. *Settele* fatetur, evenerunt ab anno 648 ad 682. At hae non fuerunt nisi partiales translationes. Sed tandem, post lugendam coemeteriorum devastationem a Longobardis patratam, sub rege Astulfo, anno 756, Paulus I sepulcra Martyrum illustriorum aperuit, ut corpora distribueret per Ecclesias Urbis, et eius successor Stephanus III coactus fuit exemplum imitari. Verum Hadrianus I et Leo III successores ab hac despoliatione desistendum esse censuerunt, cessata forsitan causa, et coemeteria Basilicasque restaurare adnisi sunt. Nihilominus paucos post annos, Paschalis I coactus fuit exemplum sequi Pauli I, etenim cryptae Martyrum dirutae et derelictae sensim inventae sunt. Hinc praxis mutata fuit et translatae Reliquiae thecis seu *capsellis* inclusae exponi coeperunt. Leo Pp. IV († 847) in quadam homilia expresse ait : « Super Altare nihil ponatur, nisi capsae cum Reliquiis Sanctorum, aut forte quatuor Sancta Dei

Evangelia. » In Gallia idem eveniebat. S. Gregorius Turonensis, qui saeculo VI vixit (*Historia Ecclesiastica Francorum, lib.* 7), praeter id quod narrat de translationibus proprie dictis in libro *de gloria Martyrum*, refert de Reliquiis S. Sergii et de eius Basilica Burdigalensi; et ostendit, quod huius Sancti Reliquiae *erant in sublimi parietis, contra Altare, in capsula reconditae*. Temporis progressu extra custodias quoque expositae sunt Reliquiae, unde Concilium IV Lateranense, anno 1215 celebratum sub Innocentio III, opportunum duxit abusum compescere, canone 62 : « Cum ex eo quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, et eas passim ostendant, Christianae religioni detractum sit saepius, ne in posterum detrahatur, praesenti Decreto statuimus, ut antiquae Reliquiae amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. » At temporum indole immutata, non adeo insistendum esse duxit Ecclesia in veteri disciplina, et magis placuit fidelium devotioni satisfacere sacras Reliquias patenter venerationi exhibendo.

In graeca Ecclesia fere universalis extitit mos Reliquias thecis inclusas, per parietes Ecclesiarum dispositas, depictis circumcirca Sanctorum imaginibus vel historia eorum Martyrii, ac praesertim ante Altaria. De hoc testantur S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, et S. Gregorius Nyssenus, qui sinunt concludere hanc praxim etiam prioribus saeculis viguisse. Etenim testimonia horum Patrum, qui saeculo IV vivebant, nonnisi usum illius temporis referunt, qui profecto tunc non oriebatur, sed ex traditione primaevae orientalis Ecclesiae adhuc continuabatur.

II. Legibus liturgicis respondet ne expositio Reliquiarum inter candelabra Altaris seu Sanctorum seu eorumdem Reginae, seu Christi Domini ?

Ex Caeremoniali Episcoporum et Rubrica Missalis, apprime constat expositionem Sacrarum Reliquiarum *in ge-*

*vere* inter candelabra legibus liturgicis respondere. Illud sane quod ad rem nostram pertinet, sic se habet: «... Quae quidem Sacrae Reliquiae et imagines, cum sex tantum candelabra erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra. » Haec vero, uti mox videbimus, non tantum Reliquiarum expositionem admittit, sed cultum eis exhibendum praecipit. Audiatur tamen S. Carolus, monens moderationem adhibendam in his expositionibus, ne nimium cultus vilescat et devotio imminuatur : « Ne passim omni tempore, sed certis tantum festorum dierum celebritatibus... et festo ipso die exponantur ostendanturque, quo illius Sancti cuius Reliquiae sunt, vel Ecclesiae in qua reconditae sunt, celebritas solemni ac festo officio agatur: tum praeterea quo die ob dignam causam Episcopus iusserit ac concesserit. » Et merito. Quamvis enim Reliquiae inter candelabra altaris positae, perpulchris thecis inclusae, ad ornatum inservire optime valeant, non hic fuit spiritus Ecclesiae eiusmodi expositionem probantis, sed et finis dignae faciendae coronae circa divina mysteria, et adhuc praecipue eas cultui et venerationi fidelium exponendi. Hoc sane probatur ex vetito eas exponendi cum solemniter SS. Sacramentum publicae fidelium adorationi exhibetur (*S. R. C. 12 Sept. 1741*); si enim ad cultum Sanctorum Reliquiae expositae non intelligerentur, nulla ratio vetandi hanc simultaneam cum potiori obiecto expositionem extitisset. Probatur quoque ex obligatione lumina accendendi ante sacras Reliquias expositas (*S. R. C. 22 Ianuar. 1701*); Decretum S. R. Congnis diei 12 Augusti 1854, nihili facit dubium exhibitum ex motivo expositionis ad simplicem *ornatum* altaris, et omnino praecipit lumina accendenda quocumque in casu ; cur, nisi quia finis praecipuus expositionis, esse debet cultus Sanctorum Dei ? Insuper Rubrica ipsa Missalis (*Ritus servandus in celebratione Missae, Tit. IV, n. 5*) publicum et solemnem cultum in Sacras Reli-

sic expositas exhibendum praecipit his verbis : « Si vero in Altari fuerint Reliquiae seu imagines Sanctorum, incensata Cruce et facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas quae a dextris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem bis ducens thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia similiter incensat bis alias, quae sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolae: deinde prosequitur etc. »

At pretium operis nunc est, expendere utrum liceat an saltem conveniat huiusmodi expositio indiscriminatim pro Reliquiis quibuscumque, cum ex Caeremoniali Episcoporum et Missalis Rubrica nihil erui possit ad distinctionem Reliquiarum faciendam, pro expositione de qua in casu. Illud enim ait : « Si haberentur *aliquae Reliquiae*, aut tabernacula cum *Sanctorum Reliquiis* ; » haec autem : « Si vero in Altari fuerint *Reliquiae* seu *imagines Sanctorum* », dubium enim semper manet an illud primum verbum *Reliquiae* accipiendum sit disiunctive, ut intelligantur Reliquiae quaecumque etiam Domini et B. Virginis, ad distinctionem aliarum, quae sint de Sanctis, an vero copulative cum verbo sequenti *Sanctorum* ; inspiciendum est an alia suppetant argumenta ad quaestionem dirimendam. Rationes in casu a nonnullis de clero Collegiatae Ecclesiae allatae contra expositionem inter candelabra Reliquiarum B. M. V. vel Passionis Christi Domini sunt : 1.ª, quia praefatae Reliquiae, cum insignes sint, dedecet ut veluti ad ornatum inter candelabra collocentur ; 2.ª, quia in solemniori Missa thus illis adhiberi nequit, prout tantarum Reliquiarum dignitas exigit. Nunc, quamvis ad primum responderi posset, verum non esse Reliquias in casu poni tamquam ornamentum, cum longe diversus sit in eiusmodi expositione spiritus Ecclesiae ; tamen incongruum plane videtur tam insignibus Reliquiis locum dare secundarium, cum cultum ex ipsa ratione theo-

logica exquirant superiorem eo, qui ceteris Sanctis exhibetur ; crescit autem argumentum si sermo sit de praefatis Reliquiis una cum aliis Sanctorum exponendis. Quod autem alteram spectat rationem, distinctio primum facienda est inter Reliquias Passionis Christi, et Reliquias B. Virginis. Novimus revera Sacram Rituum Congregationem, Decreto diei 23 Septembris 1837 statuisse, tam Reliquiam SS.mae Crucis, quam ceteras Passionis debere thurificari triplici ductu ; unde plane eruitur, Rubricam Missalis dum praecipit Reliquias thurificandas ad modum unius pro unaquaque parte duplici tantum ductu, supponere nunquam positas Reliquias SS.mae Passionis. Sed cum B. Mariae V. Reliquiae, quoad incensi honorem, non discriminentur ab aliis Sanctorum, res non ita facile expeditur, quemadmodum pro Reliquiis Christi Redemptoris. Sed instamus in distinctione, quae semper manet, non obstante aequalitate iuris in thurificatione, specialis cultus exhibendi B. Mariae, nempe hyperduliae, ex quo requiritur, uti ex intrinseco patet, ut locus princeps in Altari ipsis tribuatur, nec cum ceteris Sanctorum immisceantur. Quod dictum est de SS.mae Passionis instrumentis, coarctatum intelligi debet ad vera praefata instrumenta; nam si agatur v. gr., ut in casu quoque innuitur, de clavis, qui ex contactu cum illis, quibus fuit Cruci Christus affixus, sanctificati fuerunt, cum decidat ratio specialis venerationis, quae ad cultum relativum latriae veris debitum requiritur, non amplius verificatur inconveniens de quo locuti sumus, ut proinde optime inter ceteras Reliquias collocari valeant, et cultum, qui illis Sanctorum tantummodo debetur, sibi vindicare.

III. Crux Altaris, aut SS.mae Crucis lignum collocari ne licite potest super tabernaculo servante rem sacram ?

Quod alteram huius tertiae quaestionis partem respicit nulli subiicitur dubitationi ; docet reipsa Sacra Rituum

Congregatio, Decreto d. d. 12 Martii 1835, ad 1, Reliquiam SS.mae Crucis non posse super tabernaculo collocari, in quo SS.mum Sacramentum reconditur. Id valet et pro ceteris instrumentorum SS.mae Passionis Reliquiis. En huius Decreti tenor : « Quum iuxta Decretum S. Rituum Congregationis, pridie Cal. Aprilis 1821, eliminanda sit consuetudo apponendi Sanctorum Reliquias pictasque imagines super tabernaculo in quo SS.mum Eucharistiae Sacramentum asservatur, adeo ut ipsum tabernaculum inserviat pro basi, quaeritur an hoc Decretum valeat etiam pro Reliquiis SS.mae Crucis vel alterius instrumenti dominicae Passionis publicae venerationi expositi ? » Et S. Congregatio respondit : « Affirmative ».

Quod primam attinet partem quaestionis, ita videtur dirimenda : Crux cum Crucifixi imagine principem tenere debet locum in Altari; clara sunt de hoc verba Caeremonialis Episcoporum (*Lib. I, cap. XII, n. 11*), ait enim quod in Altari in medio candelabrorum « locabitur Crux . . . praealta, ita ut pes Crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat, cum imagine SS.mi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem ». Huius dispositionis Catalanus in suis commentariis rationem tradit aiens : « quia Crux certe in Altari est tanquam signum Regis in regia sua ; insignita autem debet esse SS.mi Crucifixi imagine, ut ab eius conspectu et Sacerdoti celebranti et Christiano populo Sacrificio assistenti Passio Christi in memoriam revocetur ». Ex hac ergo Rubrica eruitur, 1. Crucem esse debere formae tam magnae, ut a circumstantibus commode videri possit ; 2. eius locum esse in medio candelabrorum, ita ut tantummodo data necessitate aliter fieri valeat , uti habet idem Caeremoniale : « Celebrante . . . Episcopo, candelabra septem super Altari ponantur, quo casu non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum po-

situm locabitur (*ib. n. 12*) ». Haec consectaria ab ipsa legitima interprete Sacra Rituum Congregatione deducuntur : nam cum ad rem interrogata fuisset his verbis : « An parva Crux cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur SS.mum Sacramentum in Altari, sit sufficiens in adimplementum Rubricae volentis quod in Altari in quo celebratur Missa debeat apponi Crux in medio candelabrorum ? » Decreto diei 16 Iunii 1663 respondit : « Non est sufficiens, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. » Et ad dubium : « An et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit ? S. eadem Congregatio respondit : « Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis ; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti quam populo ». In casu nostro potest facillime adesse necessitas, et quidem non accidentalis, sed et continuo, Crucem alio quam inter candelabra collocandi. Saepe sane Altare parieti adhaerens spatium non praestat tabernaculum ponendi ante candelabrorum gradus, ita ut una super linea Crux cum candelabris insistat, et tunc cur fieri non potest ut tabernaculo ipso immineat? Respondebis, obstare Decreta mox citata. Sed nego ; finis horum Decretorum est prohibere Cruces vix visibiles, et praecipere ut proprius detur locus extra necessitatis casum. Ceterum, ut vidimus, non prohibet S. Congregatio Crucem cum Crucifixi imagine collocatam supra tabernaculum , sed tantum iubet aliam, proprio loco ponendam. Quoad autem Cruces super minores tabulas infixas, consulatur Benedictus XIV in sua constitutione *Cum semper*, et patebit eos non esse pro-

hibitas *per se*, sed tantummodo, iuxta mox citatum Decretum, si ita nempe parvae sint, ut visibiles vix fiant. Haud sane esset probandus usus ponendi Crucem cum suo sustentaculo ad instar candelabri, seu alias praegrandi, ita ut tabernaculo non immineat et quid unum cum illo non efformet, sed ex loco exsurgere posset ubi parva Crux solet apponi, et sic nullimode dicatur tabernaculum pro basi inservire, quod prohibitum esset, uti prohibitum vidimus quasi pro basi adhibere ad ipsam dominicae Crucis Reliquiam sustendandam.

IV. Quid censendum de incensatione Crucis et SS.mi ligni Crucis, vel alterutrius in solemniori Missa, ut in casu?

Paucis abhinc annis Decretum a S. Rituum Congregatione prodiit, quo ad nostram quaestionem solutio paratur. Responsum igitur his verbis habetur : « Quum in Altari sit exposita Reliquia SS.mae Crucis, Celebrans in Missa cantata incensare debet more solito imaginem Crucifixi in principe loco positam, et postea Reliquiam S. Crucis (*23 Sept. 1885*)». Extra dubium vero manet, ex identitate rationis, quod dicitur de Missa, intelligi debere etiam de Vesperis. Auctores nonnulli, qui rem secus iudicaverant, casum contemplati sunt, quo Reliquia SS.mae Crucis non seorsim exposita esset, sed in ipsa Altaris Cruce inserta ; resolvebat autem Cuppinus (*Institutiones Liturgicae*) : « Satis esse si Reliquia una simul cum Cruce per modum unius triplici ductu incensetur : idque nedum quando Reliquia Cruci ipsi inserta est, verum etiam quando etc. » Idipsum docebat Bragaglia (*Tom. I.* in fine). Distinguentes, et casum praetereuntes, de quo iam a S. Rituum Congregatione solutio data est, dicimus, conclusionibus horum et aliorum, si qui sunt, veterum liturgicorum optime inhaereri posse; non enim distincta obiecta tunc efformant Crux Altaris et Crucis Reliquia, sed haec quodammodo

sanctificat aliam et nil novi addit, nisi maiorem venerationem, ut proinde requiratur genuflexio ex parte quoque Celebrantis, thurificantis etc.

---

# DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Senogallia*. **De non adhibenda palmatoria in Sabb. Sancto ante Missam solemnem.** Si Episcopus in Sabbato Sancto totam functionem peragat, ad benedictionem ignis, ad prophetias legendas et ad benedictionem fontis debetne adhiberi palmatoria seu bugia cum candela *extincta*, sicut candelae altaris extinctae manent usque ad ℣. *Peccatores*, uti erui videtur ex De Herdt, Prax. Pontif. tom. 3, pag. 113 ?

*Resp.* Negative. Candelas super altari esse debere extinctas, non fit quaestio, et ipsemet adm. Rev. Consulens ultro admittit. Lex enim clarior esse non potest: « . . . Ornatur Ecclesia, altare, abacus et chorus, prout in Dominicis Adventus et Quadragesimae; sed **cerei relinquuntur extincti,** donec erit tempus illos accendendi (*Lib. II Caerem. Episc. De Sabb. Sanct. Cap. XXVII, n. 2*).» Tempus autem, quod Caeremoniale innuit, est paulo ante Missam: « Interim removentur etiam ab altari et sede Episcopi pallia violacea, *et accenduntur luminaria... donec Episcopus fuerit in sua sede ad cantandum* **Gloria in excelsis Deo** *etc.* (*Loc. cit. n. 21*). » Spatium autem, quod intra hos duos terminos concluditur, continet adamussim tres actus liturgicos, de quibus in Dubio inquiritur, videlicet benedictionem ignis, Prophetiarum cantum, et benedictionem fontis. Cum ergo tunc temporis lumina in altari extincta esse

debeant, nonne ipsa palmatoria videtur esse debere praesens, extincta tamen? Sed negative reponimus. Et sane ratio sufficiens, vi cuius extincti manere debent cerei in altari, satis intelligitur. Quia scilicet eiusdem altaris ornamenta sunt, suo tempore accendendi, et aliunde non sine gravissimo incommodo candelabra tunc deferrentur ad altare, cum deberent accendi. Ergo super altari maneant, sed cum candelis extinctis. At eadem sufficiens ratio non intelligeretur omnino pro palmatoria, si et ipsa extincta super eodem altari maneret; quippe quae et ornamentum altaris non constituit, et eam ad altare cum inservit, deferre nullius est negotii. Quin imo palmatoriae usus non est ut super altare maneat, quamvis super illo quandoque ponatur, sed ut manu sustentetur ab aliquo ministro: « . . . accedente . . . ad dexteram altero ministro, parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *bugiam* vocant, cum candela desuper accensa, tenente *(Lib. I, Cap. XX, n. 1)* ». Porro haud parum videtur risu dignus minister manu instrumentum hoc sustentans et hac illac deferens ubi legit Episcopus, in actu functionis et solemniter, sed cum cereo extincto. Hinc ipsum Caeremoniale loquitur generice de *candela accensa*, additque *etiamsi aër sit lucidus*, *(loc. cit.)*: per quod ridicula reprobari videtur caeremonia de ea **extincta** deferenda. Denique de candela palmatoriae extincta silent universi auctores, quantum scimus, sive in genere, sive de functione in casu tractantes: quod profecto dixissent, si ita lex fuisset interpretanda.

Quod autem attinet ad cl. De Herdt, verba, ex quibus adm. Rev. Consulens ait, posse id fortasse deduci, contrarium probabilius significant. Dicit enim: « Non adhibetur candela *accensa*, sicut candelae altaris etiam **extinctae** manent *(loc. cit. in Dubio)* ». Sibi ergo haec verba volunt, sicut candelae altaris sunt extinctae, ita candelam non esse adhibendam. Dicit autem, *accensam*: quia aut palma-

toria accenditur, et adhibetur: aut non accenditur et non adhibetur, cum eius finis sit ut accendatur. Atqui in casu accendi non debet; ergo neque debet adhiberi. Hinc concludimus reponendo, ut supra, ad propositum Dubium: Negative.

II. *E Montepolitiano.* **De concursu inter festa et octavas secundarias Deiparae.** Novae additiones et variationes in Rubricis generalibus Breviarii silent omnino de Octavis diebus festorum secundariorum B. Mariae V. Quum vero certum sit ex Decretis Octavas sequi naturam Festorum, ideo diebus Octavis festorum secundariorum ex. gr. SS. Rosarii, et septem Dolorum Vesperae erunt de praecedenti, vel sequenti Duplici minori cum commemoratione Octavae. Num recte?

*Resp.* Affirmative et citra ullam controversiam. Nam ex Rubrica reformata (*Tit. VI, n.* 7) abunde patet, diem Octavam, ad quodcumque festum pertineat, duplici minoni aequiparari. Unde Rubrica ait: « Die Octava concurrente cum sequente duplici minori, etiam translato, ceteris paribus, a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavae ». Sub fine autem dicitur: « Ceteris vero non paribus . . . . Concurrente . . . cum festo duplici, Vesperae erunt, vel de die Octava, vel de duplici cum commemoratione alterius, prout de Octavis inter se concurrentibus dictum est ». Atqui posita die octava festi secundarii Deiparae, concurrente cum sequenti duplici minori primario, cetera non sunt paria; ergo de duplici min. primario agendae erunt Vesperae, cum commemoratione diei Octavae festi secundarii. Item posita die octava festi secundarii Deiparae, concurrente cum duplici minori secundario, cetera non sunt paria; ergo de die octava Deiparae faciendae sunt Vesperae, cum commemoratione sequentis duplicis min. secundarii. In prima enim hypothesi habetur imparitas inter festum primarium et secundarium, et atten-

ta paritate ritus, neglecta dignitate personae, Vesperae fiunt de festo primario prae secundario: in altera autem hypothesi habetur imparitas inter festum dignius et minus dignum ratione personae, adeo ut, attenta item paritate ritus et secundarietatis, Vesperae esse debeant de festo digniori ratione personae. Recte ergo, imo optime ratiocinatus est R.mus Consulens.

III. *Ex Urbe.* **De privilegio Regularium benedicendi Ecclesias suas.** Superiores Regulares possuntne proprias Ecclesias, seu sibi commissas benedicere?

*Resp.* Affirmative. Sacerdotem oportere benedicere ex Pontificali constat. Exploratum nihilominus est ex benedictionibus esse aliquas reservatas Romano Pontifici, alias Episcopis, alias Parochis, reliquas esse quorumvis Sacerdotum proprias. Haec ex iure positivo patent, quod proinde necessario consulendum, ut affirmativam ad propositum quaesitum responsionem probemus.

Certum est Superiores Regulares posse benedictiones omnes explere, in quibus sacrum chrisma non requiritur, *supposito* quidem *Sanctae Sedis privilegio*. Constat ex Decreto in *Tirasonen.* d. d. 16 Maii 1744 ad 3, n. **2377** (4159). Atqui in benedictione Ecclesiae non requiritur sacrum chrisma, et adest in casu privilegium Sanctae Sedis; ergo. Prima pars constat ex variis ritibus et caeremoniis praescriptis in Rituali Romano (*Tit. VIII. cap. 27*) pro benedictione Ecclesiae. Item constat ex eo quod facultas novae Ecclesiae seu Oratorii publici benedicendi ab Episcopis delegatur simplicibus Sacerdotibus, uti in eodem Codice videre est (*Loc.cit.*). Altera pars ex iis constat, quae refert cl. Quarti (*De Benedict. Tract. I. Dub. VII*): « Respondeo et dico primum: Praelati Regulares, etiam locales, videlicet Praepositi, Rectores etc. possunt solemniter benedicere proprias Ecclesias, Oratoria ac Coemeteria, sine licentia proprii Ordinarii, ex Indulto concesso *Magnibus de Observantia*, re-

lato in *Compendio Mendicantium*, verbo *benedicere*, n. 14 etc. ». Constitutio autem, per quam huiusmodi, una simul cum aliis, privilegium dictis Regularibus concessum est, refertur a cl. Ferraris in sua *Bibliotheca*, illamque referre iuvat, vel potius totum numerum 7.mum Articuli V circa benedictiones, in quo illa habetur. « 7. Regulares Superiores, vel alii superiores in Capitulo generali deputati, possunt benedicere et reconciliare suas Ecclesias, Coemeteria et Oratoria ex variis Summorum Pontificum privilegiis, et signanter ex privilegio concesso *Minoribus de Observantia* a Leone X. in Const. quae incipit *Religionis zuadet*, his praecisis verbis : Nos igitur, qui religiosorum personarum vota, per quae eorum dispendiis obviatur, ac commodis et profectibus providetur, studio caritatis libenter prosequimur huiusmodi supplicationibus inclinati etc. ac vestri Ordinis Generalibus, Provincialibus, Vicariis, Custodibus ac Guardianis pro tempore existentibus praefatis, ut omnia et singula eiusdem Ordinis de Observ. Ecclesias, Coemeteria, et Capitula, et Oratoria ubicumque existentia, receptas et recepta, recipiendas seu recipienda, ac paramenta et ornamenta, ac alia quaecumque ad divinum cultum, et usum vestrum necessaria, in quibus chrisma non intervenit, pro vestro usu tantum, solemni benedictione, ac etiam per Vicarium seu Guardianos, aut alios ad hoc a vobis in vestris Capit. Gener. provide deputandos benedicere, ac illos seu illa et eorum qualibet sanguinis, seu seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos, (praesertim in locis ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis) benedicta, reconciliare libere et licite valeatis, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus : non obstant. etc. » *Norae. in Summa Bull. 2 part. tit. de consecr. Eccles. Regul. n. 9* (Ad verb. Benedictio). » Nunc autem omnes Ordines Regulares, saltem in specie nostra, com-

municare in privilegiis aliorum Ordinum, sive mendicantium, sive non, omnibus exploratum est. Ergo, sive in genere, sive in specie probatum manet, Superiores Regularium posse, dummodo ad alienas privilegium non extendant, proprias Ecclesias benedicere.

IV. *Ex Austria.* **De quodam anniversario defunctorum, an *stricte* an *late* sumptum sit.** Habetur hic unum anniversarium ut sequitur: « Convocato Capitulo, Prior ultimam defuncti voluntatem pie exposuit Patribus convocatis. Et quoniam in testamento non est determinatus Missarum numerus in anniversariis peragendis, propterea duplex anniversarium cum quinque Missis absolvendum definivit: quod et Capitulum confirmavit. Pro uno anniversario dies 28.us Iunii, pro altero dies 10.mus Novembris determinati sunt. Quaeritur, an hoc duplex anniversarium stricte an late sumptum sit, proinde quibus privilegiis fruatur?

*Resp.* Supponimus inter Missas dicendas unam saltem esse cum cantu: secus quaestionem instituere de anniversario, sive stricte sive late sumpto, oleum foret atque operam perdere. Vix namque innuere sit satis, pro anniversario Missam cum cantu esse necessario intelligendam, qua deficiente, anniversarium nullum prorsus est. Hoc posito, animadvertimus, Missas lectas addere cantatae pro defuncto, cuius agitur anniversarium, hoc profecto reddere solemnius et efficacius, sed nullo eas gaudere posse privilegio: adeo ut dici nequeant, nisi ritus semiduplex aut inferior eas permittat.

Nunc ad primam quaestionem, quae ad hoc reduci videtur, utrum nempe dies 28.us Iun. et 10.mus Nov. determinati a Priore et Capitulo pro anniversario, eamdem vim possideant, ac si fuissent ab ipso testatore determinati. Nam saltem ex pluries citato Decreto 2. Dec. 1891, quamvis adhuc non vulgato, testatores ius habent determinandi

pro suo anniversario aliam diem praeter diem ab obitu. In dicto enim Decreto legitur : « Anniversaria, seu Missae cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus, **aut alia determinata die** etc. prohibentur tantum in duplicibus I et II classis, in Dominicis et festis de praecepto etc. etc. ». Videndum ergo, utrum Capitulum solemniter convocatum ius habuerit idem ac testatores indubie possident. Porro de hoc nobis videtur minime dubitandum ; communiter enim haeredes cum testatoribus, ad hoc quod attinet negotium, confunduntur. Sufficiat referre auctoritatem cl. De Herdt, quam alii recentiores secure tenent, antiquioribus quoque innixi : « 3.° *Relicta ex dispositione testatoris*, ut dicitur in Decreto Missalis et pluribus aliis. Sufficit tamen quaelibet dispositio testamentaria, etiam mediata : ut si haeredes anniversarium fundaverint de expressa voluntate defuncti ex bonis ab eodem relictis aut acceptatis; quali dispositione fundata supponuntur antiquiora anniversaria, nisi quid obstet in contrarium (*Pars I, n. 59, 3*) ». Iam nunc voluntas testatoris a Priore manifestata est Patribus vocalibus, uti in Dubio dicitur ; supponi ergo merito potest, Capitulum egisse iuxta voluntatem ultimam testatoris defuncti. Aliunde, uti facile ex Dubio eruitur, Institutum, de quo agitur, aut est, aut certe considerandus est uti haeres defuncti. Omnes ergo videntur comprobari conditiones, quae requiruntur, ut dies determinata a Capitulo, ab ipso testatore censeatur determinata. Consequenter, quemadmodum testator poterat, ita et Capitulum potuit aliam diem, quae obitus non est, statuere pro anniversario. Quod consequenter, non late, sed stricte sumptum iure credimus ; hinc omnibus singulisque gaudere privilegiis, quae veris Anniversariis sunt ex iure positivo adnexa.

Sed altera hic adest quaestio : semel in anno moritur, non bis ; hinc unum anniversarium pro uno defuncto in-

stitui posse iura permittunt, non duo. In casu vero habentur duo infra annum anniversaria, utrumque pro eodem defuncto simul et consanguineis suis : quod profecto nec testator poterat, neque Capitulum. Quid ergo iudicandum ? Videtur posse unam diem haberi uti vere anniversariam, haud vero aliam.

*Voto.* Si maiores putarunt, pro dictis anniversariis dies liberos a duplici esse eligendos, atque constet, ita eos se gessisse quia in duplici vetantur Missae lectae de requia, optime se gesserunt et nonnisi laude digni forent. At si res ita se habet, iterum dicimus, frustra fit quaestio de Anniversariis liturgice saltem acceptis, sive stricto sive lato sensu ; quia reapse praefatae Missae lectae nullum valent anniversarium constituere.

V. *Ex Hispania.* **De duobus festis eadem die occurrentibus quodnam praeferendum ?** Die 5 Iulii occurrunt simul festa S. Michaelis de Sanctis et S. Antonii M. Zaccaria : quodnam agendum, quodnam transferendum ?

*Resp.* Dies 5 Iulii est vere propria, tam pro S. Michaele, quam pro S. Zaccaria. Primum accipimus e Martyrologio Romano, quod die 5 Iulii notat S. Michaelem de Sanctis, hoc est eius festum : quod ceterum e die 10 Aprilis eiusdem Martyrologii patet, in qua legitur : « Vallisoleti in Hispania S. Michaelis de Sanctis . . . . quem Pius IX P. M. inter Sanctos retulit, assignato eiusdem festivitati tertio Nonas Iulii. » hoc est 5 Iulii. Alterum pariter accipimus e recentiori Elogio, iam a S. R. C. vulgato *(Vid. Ephem. currentis an. 1898, n. 6, pag. 336)*, atque in Martyrologio inserendo. Ergo indubie eadem die 5 Iulii aguntur duo festa, S. Michaelis de Sanctis et S. Antonii M. Zaccaria ; cumque eadem dies sit pro utroque *propria*, concludi ex hoc nequit, quodnam ex his festis dicta die 5 Iulii sit agendum.

At dies propria, aut *natalitia* esse potest, aut *quasi-*

*natalitia*, et in hoc habetur inter utramque diem discrimen pro casu. Etenim exploratum est, diem 5 Iulii pro S. Michaele non esse *natalitiam*, sed *quasi-natalitiam*; quia illius nomen in Martyrologio bis recensetur, hoc est die 10 Aprilis et 5 Iulii: in illa autem notatur dies *natalitia*, simulque dicitur festum a Pio IX assignatum pro die 5 Iulii. Ergo sicut illa est *natalitia*, ita ista est *quasi-natalitia*, uti alibi quoque iam exposuimus *(n. 5 anni 1897, pag. 449 et seq. Dub. II)*. E contrario eadem dies 5 Iulii non *quasi-natalitia*, sed vere *natalitia* est pro S. Antonio. Nam in Elogio, quod superius innuimus dicitur: « Cremonae in Insubria S. Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, Clericorum Regularium S. Pauli et Angelicarum Virginum Institutoris, quem virtutibus omnibus et miraculis insignem Leo decimustertius inter Sanctos adscripsit etc. ». Cum autem haec dies in Martyrologio unica esse debeat, iam patet, eam vere natalitiam esse: quod ceterum indubiis historiae documentis apprime cohaeret.

Atqui ex doctrina Decreti adhuc inediti, quam alibi per integrum retulimus, certo constat, ex duobus festis, quorum unum est in die *natalitia*, alterum in *quasi-natalitia*, illud esse huic praeferendum *(V. Ephem. an. 1897, pag. 210, 2)*. Ergo die 5 Iulii celebrandum est festum S. Antonii M. Zaccaria, et consequenter S. Michael de Sanctis e dicta die amoveri debet, ut in primam diem liberam transferatur iuxta Rubricas.

Nihilominus dicta intellige, *ceteris paribus*; quia notatum volumus, dies *natalitiam* et *quasi natalitiam* esse quasi paris iuris; cum omnia iura diei *natalitiae* in *quasi-natalitiam* ex suprema Pontificis auctoritate transferantur. Hinc doctrina Decreti, quod innuimus, addit: *Si vero quod est in quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut aequalis sed* **proprium . . .**, (quod fortasse comprobatur in casu), *alteri praeferatur*. Ita doctrina Decreti loco supe-

rius citato, quam si legat et perpendat adm. Rev. Consulens, rem optimam faciet.

VI. *Ex oppido Zabarcos in Hispania.* **De officio Titularis Paroeciae ex parte Parochi et Coadiutorum illius.** Vi cuiusdam pacti initi cum Romano Pontifice a Rege Hispaniae, in unaquaque dioecesi quaedam de novo erigendae sunt Ecclesiae parochiales, quaedam vero supprimendae. Ea de causa in pluribus Hispaniae dioecesibus nonnullae parochiales Ecclesiae clausae absolute manent, aliae uti vere parochiales perseverant, aliae uti filiales habentur et sunt, adiunctaeque cuidam matrici fuerunt. Parochus vero matricis, ut commodius consulere valeat utilitati sibi commissi gregis, plures habet ab Episcopo assignatos Coadiutores, qui Sacramenta omnia ministrant, nunc in una, nunc in altera ex filialibus Ecclesiis, quandoque etiam in matrice, semper tamen ex delegatione Parochi. Quaeritur: 1. Praedictus Parochus de singulis Ecclesiis filialibus debet ne peragere officium iuxta Rubricas, vel tantum de Titulari *matricis?* 2.° Coadiutores tenentur ne ad officium Titularis *matricis* et omnium Ecclesiarum filialium, vel tantum ad officium Titularis Ecclesiae, cui, adveniente eius festo, fortasse deserviunt?

3.° Si Coadiutores, e quadam commoditate, alicui filiali Ecclesiae strictim adscripti manent, tenentur ne ad officium Titularis aliarum Ecclesiarum filialium et *Matricis?*

4.° Quid dicendum de Titularibus antiquarum Ecclesiarum parochialium, quae hodie absolute clausae manent, et in quibus praeter aliquod triduum vel novendiale in alicuius S.ti honorem et sacram Titularis functionem, nullus alius cultus Deo tribuitur? Rationes dubitandi sunt Decreta S. R. C. data sub diebus 11 Aug. 1877 et 28 Aug. 1882 et alia.

*Resp.* 1. Affirmative, iure positivo inspecto, hoc est Parochus tenetur peragere officium Titularis cuiusvis ex

Ecclesiis filialibus. Nam Decretum in *Oveten.* ad III d. d. 11 Aug. 1877 inquirit : « Ex Coadiutoribus nonnulli ab Ordinario adscribuntur servitio Parochorum, qui *(parochi)* praeter Ecclesiam parochialem aliam filialem habent, ut ibi (*Coadiutores*) residentes omnia vel nonnulla Sacramenta, Viaticum et Extremam Unctionem saltem, Fidelibus ministrent a Parocho dependenter: tenentur ne Coadiutores ad Officium Titularis illius Ecclesiae *(filialis)*, vel tenetur Parochus tantum, vel ambo ? » Responsum est autem: «Ad III. Negative ad primam partem, seu **teneri Parochum tantum.** » Porro si ad Titularem unius Ecclesiae filialis Parochus tenetur, id profecto est quia eam tantum habet; ergo si plures habeat, ad Titulares earum tenetur, cum ubi eadem est ratio, eadem quoque esse debeat iuris dispositio.

*Resp.* 2. Dubium supponit, Coadiutores in casu teneri certo ad officium Titularis Ecclesiae matricis ; et in hoc plane convenimus. Supponit praeterea certo teneri etiam, aut ad officium omnium Titularium Ecclesiarum filialium, aut saltem ad officium Tituli illius filialis Ecclesiae, cui, dum festum agitur, fortasse deserviunt. At inter has duas hypotheses, adesse potest et tertia, nempe ut ad nullum festum Tituli teneantur Ecclesiarum filialium : et ad hoc propendemus. Ratio est, quia Dubium III Decreti *Oveten.* declarans, teneri Parochum tantum ad officium Tituli Ecclesiae filialis, negat per consequens, ad eiusdem Tituli officium Coadiutores teneri ; ergo neque in casu nostro tenentur. Insuper, aliqua inscriptio, ad minus, ut Tituli officium celebretur, alicui Ecclesiae absolute necessaria est. At posset ne adm. Rev. Consulens perspicue nos docere, cuinam ex Ecclesiis filialibus adscriptus sit, vel saltem censeri possit, quivis ex Coadiutoribus, de quibus agimus? Ni fallimur, aut omnibus et singulis, aut nulli ex illis. Primum est impossibile uti patet : alterum videtur certum ; quia

non data est unaquaeque ex Ecclesiis filialibus uni Coadiutori, ut ibi munera sua adimpleat, sed unusquisque, nunc ad unam, nunc ad aliam pergit filialem Ecclesiam ad eumdem finem, prouti Parochus, a quo dependet, melius iudicaverit. Quod si aliquis ex Coadiutoribus alicui Ecclesiae fortuito vel sorte inservit, dum Tituli festum illius occurrit, nihil interesse videtur, cum hoc prorsus accidentale sit. Ergo Coadiutores nulli ex illis Ecclesiis dici possunt adscripti; consequenter credimus ad nullum Titulum Ecclesiarum filialium recolendum teneri.

*Resp.* 3. Commoditas, de qua agit adm. Rev. Consulens, ex qua alter vel plures ex Coadiutoribus alicui Ecclesiae strictim addicti manerent, haud satis intelligitur. Commoditas enim sola *per se* incapax est ut quis dicatur alicui Ecclesiae strictim adscriptus; sed requiritur auctoritas Episcopalis, quae curam determinatae alicuius Ecclesiae spiritualem alicui committat, et quam iure suo exerceat, Sacramenta administrando, fideles instruendo, aliaque munia adimplendo sibi propria. Haec autem, admissa quoque commoditatis causa, non comprobantur in casu; quia Episcopus Coadiutores assignavit Parocho, non alicui Ecclesiae particulari, nisi ad summum soli matrici, qui Parochus iisdem Coadiutoribus pro suo arbitratu utitur. Hinc etiam ad III Dubium, quantum videmus, negative reponimus, saltem quod attinet filiales Ecclesias.

*Resp.* 4. Cum agatur de Titulis antiquarum Ecclesiarum parochialium, quae clausae absolute manent, sequitur necessario, illorum festa in posterum celebrari non posse, cum nullus amplius in illis existat Clerus, qui illis Ecclesiis dici possit adscriptus. Equidem Parochus Ecclesiae antiquae festum transferre potuit in novae paroeciae Ecclesiam, uti alicubi factum esse scimus; at unde lex habetur Parochum ad id obligans? Hinc arbitramur, Titulos dictarum Ecclesiarum, licet clausae existant, cum

aliquis adhuc in illis cultus exerceatur, ius indubie habere, ut eorum liturgicum festum quotannis celebretur. At quoadusque alius non destinetur illarum Rector, ius veluti ex necessitate suspensum remanet, et festum meliori qua fieri potest ratione celebrabitur. Decreta ad rem praecise facientia non novimus. Haec quidem omnia, salvo meliori iudicio.

VII. *Ex Archidioecesi N.* **De Oratione pro Archiepiscopo eligendo non dicenda.** In quadam Archidioecesi Vicarius Capitularis praescripsit in Missis quotidianis usque ad electionem novi praesulis Orationem, ad modum Collectae, Missae votivae *pro eligendo Summo Pontifice*, mutato vocabulo *Romanae* in *Sedis metropolitanae vacantis*: quid dicendum?

*Resp.* Arbitramur, cum omni reverentia dictum sit, Vicarium Capitularem, de quo in Dubio, limites suae potestatis praetergressum fuisse. Equidem Caeremoniale Episcoporum dicit: « Donec de novo successore provisum fuerit, preces ad Deum continue offerendae sunt pro opportuna novi Episcopi electione impetranda (*Lib. II, cap. 38, n. 27*). » At de Oratione, quam Vicarius Capitularis praescripsit, ne verbum quidem. Et notes, eumdem Codicem, non solum generice, sed etiam specifice loqui de faciendis precibus, uti de processione ad Cathedralem Ecclesiam, de cantu litaniarum, aliisque devotis orationibus. At de Oratione pro eligendo novo Pontifice Codex legis verba non facit. Catalanus in Commentariis suis ad Caeremoniale, De Herdt in sua Praxi Pontificali, et alii de eadem Oratione silent, qui tamen notatum Caeremonialis numerum commentantur.

Fortasse optimus Vicarius hac Oratione uti posse iudicavit pro eligendo Archiepiscopo, quemadmodum adhiberi solet alia, quae habetur in Missa pro electione et consecratione Episcopi. Haec enim Oratio, *Deus omnium Fidelium*

*Pastor*, est propria summi Pontificis, quae tamen adhibetur etiam pro Episcopo in praefata Missa; ergo, inferre potuit, altera quoque, *Supplici, Domine, humilitate deposcimus*, propria eiusdem Pontificis, etiam pro Episcopo adhiberi poterit. Et conveniendum profecto, si abstrahamus a lege positiva, nonnisi commendatione potuisse dignum esse. Sed ab hac lege abstrahere non possumus, quae 1. Missam et Orationem assignat pro electione et consecratione Episcopi, non vero pro illo eligendo. 2. Prohibet ut formulae Orationum liturgicarum mutentur; et sine aliqua mutatione dicta Oratio, uti et Postcommunio, adhiberi in casu nequit 3. Vetat etiam aliquid novi in re liturgica agere, uti in casu factum est: quod neque Ecclesiae agunt, neque auctores loquuntur. Concludimus ergo, in posterum ad ea Oratione imperanda esse abstinendum, posse tamen S. R. C. consuli, ut id permittat.

## BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Gallia*. In Missa Rogationum, quae dicenda est si fiat processio, in feriis II III et IV, fit commemoratio festi occurrentis, ubi **nulla alia Missa** legitur aut canitur, sive sit, sive non, conventualis. Ita A Carpo *Biblioth. Liturg. p. 3 n. 177*: et citat in confirmationem doctrinae Decretum in *Lucionen*, 12 Aug. 1854 ad 1.

II. *Pro Curiana*. Missa, quae habetur in vigilia Pentecostes post benedictionem fontis privatim factam iuxta Decretum *Meten*. 17 Iun. 1892 ad II, etsi privata dicatur, cum indubie sit quae in Missali prostat, et dici nequeat in quibusvis Ecclesiis, uti patet, necessario conventualis est, aut

saltem uti talis habenda. Ergo et sine Introitu dicenda et sine precibus a Leone Pp. XIII post illam praescriptis.

III. *Pro Archidioecesi N.* Oratio pro Archiepiscopo defuncto, nisi cardinalitia dignitate fulserit, est: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum N. pontificali fecisti etc.* uti habetur in Missali (*Orat. div. pro Defunct.*). Diximus, *nisi cardinalitia dignitate fulserit*; quia tunc eadem esset Oratio, sed post nomen ad litteram N. addenda foret dignitas per verba *Episcopum Cardinalem*, uti pariter legitur in Missali (*loc. cit.*). Sequitur, vi iuris liturgici, pro defuncto Archiepiscopo nec dignitatem Episcopalem, nec, et multo minus, Archiepiscopalem esse in dicta Oratione nominandam. Suffragatur et ratio; res enim inutiles, sicuti non sunt faciendae, ita neque dicendae: et nominare Episcopum prorsus inutile foret in casu. Sane, nonne dicendum est: *pontificali fecisti dignitate regere?* Et quid est dignitas pontificalis, nisi episcopalis? Addidimus: *nec, et multo minus, archiepiscopalem*; quia vana in casu res est, cum archiepiscopalis dignitas Ordinem non constituat, nisi quatenus Archiepiscopus est Episcopus. In Orationibus autem nominatur dignitas Ordinis in Episcopis, non vero gradus simplicis dignitatis. Secus nominandi essent in Orationibus Episcopi non solum, sed et Archiepiscopi, Primates, Patriarchae etc. etc. quod foret risu dignum. Quod adeo verum est, ut in alia Oratione, in qua pontificalis dignitas non nominatur, in ea nominetur Episcopus, sicut in Oratione *Da, nobis, Domine etc.* Quod si dignitas cardinalitia nominatur, id forte accidit quia est suprema, et aliquo sub respectu ipsae episcopali praestantior. Cumque E.mi Patres purpurati aut Episcopi sint, aut Presbyteri, aut Diaconi, unusquisque in Orationibus pro defunctis nominatur pro suo ordine, et dicitur: *N.* Episcopum Cardinalem, vel Presbyterum Card. vel Diaconum Card. Ceterum in formulis liturgicis nihil

demere aut addere licet, sed prouti prostant legendae sunt.

V. *Pro Hollandia.* Ubi habetur indultum exponendi solemniter, ad normam Orationis quadraginta Horarum, semel in hebdomada, SS. Eucharistiam, profecto tempore huiusce expositionis, Missa solemnis de requie cantari nequit. Cum autem dicta expositio sit liturgica, arbitramur et impedimentum posse constituere pro transferenda Missa, quae post acceptum nuntium obitus alicuius, ea die canenda foret. Iuxta Decreta enim huiusmodi Missa canenda est prima die post acceptum nuntium obitus non impedita. Dubitandum autem non est, in dicta Missa unam esse Oratione dicendam, quia ex privilegiatis est, et dicitur pro die obitus.

VI. *Pro eod. loco.* Missa de requie, etsi privata, unam quoque habere potest Orationem ; sed debet esse ex privilegiatis, puta aut de die obitus, vel de diebus 3, 7, 30 et anniversaria, quando, utique, eam ritus occurrens permittit, ritus nempe semiduplex, vel eo inferius.

VII. *Pro eod. loco.* Ad hymnum « Stabat Mater » non est dicendum « Quis posset non contristari » sed « Quis non posset contristari ». 1. Quia ita legitur in codicibus liturgicis authenticis. 2. Quia accentus phonicus particulam *non*, exigit ante *posset*, non post.

VIII. *Pro eod. loco.* Duae imagines eiusdem Sancti sunt prohibitae in Ecclesia. « Norma Liturgica est, ait Epistola Circularis Emi S. R. Praefecti C. Aloisi-Masella, d. d. 20 Maii 1890 (*V. Ephem. Liturg. an. 1890, pag. 355*), quam continuo urget S. R. C. haud posse in eadem Ecclesia, multoque magis in eodem altari, publicae venerationi exponi duas, vel pictas tabulas vel statuas, eumdem repraesentantes Sanctum ».

IX. *Pro Oppido Vicario Segobricensi.* Concurrentibus Dedicatione Ecclesiae propriae et festo mobili Deiparae,

Patronae principalis civitatis, servandum est Decretum Generale d. d. 4 Febr. 1896 (*Ephem. an. 1896, pag. 732*), nempe Vesperae debent esse de Dedicatione, cum com. Patronae, quia dignitas praevalet. Nihilominus, ratione feriationis, quam adnexam de facto supponimus festo Deiparae Patronae, integrae Vesperae de hac permittuntur cum com. Dedicationis. Mobilitatem festi in casu nullimode credimus considerandam, quia agitur de festo patronali.

X. *Pro eod. loco.* Si Dominica infra Octavam Nativitatis Deiparae fiat de festo occurrente, quod habeat Praefationem propriam, haec certe in Missa dicenda est; quia Praefatio festi occurrentis magis est propria, quam Praefatio de Nativitate, cum de illo fiat festum integrum, de hac sola commemoratio.

XI. *Pro eod. loco.* In Paroecia S. Catharinae, in qua perpetuo occurrunt S. Felix Mart. et S. Augustinus Cantuariensis, si de S. Felice sit agendum, S. Augustinus transferri debet in primam diem liberam iuxta Rubricas. Quod si desit dies, cum die 30 Dec. sit iam repositus, perpetuo redigatur ad instar simplicis, iuxta Decretum *Vigleranen.* 21 Febr. 1896 ad II (*V. Ephem. an. 1896, pag. 134*).

XII. *Pro Austria.* Anniversaria pro defunctis late sumpta, si liturgice impedita arbitramur in primam diem liberam transferri posse. Si enim anniversaria stricte sumpta ex privilegio transferuntur, a fortiori dicendum est, idem privilegium favere iis, quae proprie anniversaria non sunt. Magis est enim transferre diem obitus ad diem non obitus, quam diem, in qua mors non accidit, in aliam eiusdem conditionis: ut privilegium illis favens, et istis maiori cum iure favere debeat. Arroges, hic non agi de re odiosa, sed de re favorabili in gratiam animarum, quae in expiatoriis flammis detinentur. Eapropter arbitramur,

privilegium favens anniversariis proprie dictis, extendi posse ad alia quae late sumpta, seu impropria sunt.

Missa huiusmodi anniversarii, si quidem in cantu, ritui duplici respondet, et unam Orationem habet, quae erit conveniens, nempe vel *Deus veniae largitor*, vel *Fidelium Deus*. Sequentiam tamen habebit, quippe quae in Missis cantatis nunquam omittitur.

## Super Cap. VII, § 18 Const. OFFICIORUM

### ADNOTATIONES

In quarto Ephemeridum nostrarum numero Dubium nobis discutiendum proposuimus, cuius erat obiectum approbatio Ordinariorum, in forma communi, pro libris liturgicis, quemadmodum et pro aliis, ita ut antiquae Constitutiones circa praefatos codices vim suam amiserint. Quod dubium resolvimus *negative*, hac praecipue ratione moti, quia obiectum novae Constitutionis **Officiorum** datae VIII calendas Februarias, aliud prorsus dicebamus ab obiecto Constitutionum antiquarum circa liturgicos Codices. Haec sentiendi ratio non placuit cl. Arthuro Vermeersch, qui censura notat impugnationem nostram; quippe quae **mira** *undique ei videtur* scilicet *termino suo*, *argumentis suis*, *et ex ipsis conclusionibus*. De his dicemus, dum impraesenti sequentem aggredimur perpendendam ac resolvendam quaestionem: *Quod nova Constitutio* **Officiorum ac munerum** *disponit, antiquat ne veterem legislationem super editionibus librorum liturgicorum?* Momenta, quae adducemus, uti negativam responsionem ad praesentem quae-

stionem demonstrabunt, ita et nostrum sentiendi modum firmabunt, quem in quarto *Ephemeridum* numero sustinuimus.

1. Caput VII, § 18, Constitutionis **Officiorum ac munerum** circa libros liturgicos haec habet: « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur ». Ergo, concluserunt statim nonnulli, quos novimus, dictae Constitutionis Commentatores (1), vetus legislatio super libris liturgicis antiquatur; et praeter hoc, quod isto in paragrapho exigitur, nil aliud pro novis illorum editionibus condendis requiritur. Nobis vero, omni cum reverentia

(1) In quarto Ephemeridum numero nomina siluimus cl. Génnari et Pennacchi, dum nominavimus Vermeersch: de eoque diximus, non satis recte docuisse, editiones librorum liturgicorum, conformes licet authenticis, non esse prohibitas post novam Constitutionem (*V. Ephem. num. cit. pag. 209 in nota*). Laesum quasi se sentiens cl. Arthurus Vermeersch, quod solum nominatum, reliquos silentio donatos, scribit: « Pace dixerim scriptorum optimae Ephemeridis, undique mira nobis videtur eorum impugnatio. Mira *termino suo*: dum nos in longinquo positos aggrediuntur, praetereunt doctissimos Génnari et Pennacchi, qui in Urbe verbis apertissimis hanc tamquam certam sententiam tuentur *(De prohibitione et censura librorum... Dissert. Canon. Mor. Edit. altera pag. 72 in nota 4)*. » At cl. Vermeersch, censet ne nullam haberi posse rationem alicuius personae, dignitatis, officii? Ceterum acquiescere facile poterit, quia in Opere cl. Génnari solis erat initialibus litteris indicatum nomen, ut consultius iudicaverimus illud in incerto relinquere. Opus cl. Pennacchi in *Acta Sanctae Sedis* prodierat, sed divisum in partes, illudque expectabamus adhuc integrum ab ephemeride excerptum, dum typis scripta mandabantur nostrarum *Ephemeridum*.

praefatorum scriptorum, quorum imo mentis aciei momenta nostra libenter subiicimus, aliter concludendum videtur, hoc est: Nova Constitutio **Officiorum ac munerum** in toto suo robore relinquit veterem legislationem super libris liturgicis. Ratio simplicior esse non potest, videlicet, quia obiectum Constitutionis **Officiorum ac munerum** aliud prorsus est ab obiecto antiquarum Constitutionum, in quibus legislatio continetur pro libris liturgicis.

2. Hinc primo videamus obiectum Constitutionis novae. Audias sapientiam Pontificis Leonis XIII sub fine eiusdem Constitutionis: « Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt, **quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice**, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae Synodi iussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio Decessorum nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita ac provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus ».

Ex his verbis constat: 1. Constitutionem novam cum suis Decretis, seu titulis, capitibus, numerisque omnibus et singulis illam sequentibus, unicam efformare normam, **qua uti debet sacrum Consilium**, seu Congregatio Indicis in notandis libris: 2. Libros prohibitos, proscriptos, damnatos, in dictis Decretis Generalibus, uti tales ab omnibus catholicis esse in toto orbe habendos: 3. Consequenter antiquas normas seu regulas pro iisdem libris notandis, quas continent *Regulae Iudicis* Sacros. Synodi Tridentinae iussu editae, *Observationes*, *Instructio*, *Decreta*, *Monita*, quae alii Summi addiderunt Pontifices, esse abro-

gata. 4. Item abrogatum quoque censendum esse quodcumque aliud *statutum iussumque* praecedentium Pontificum *super hac materia*, de qua supra, hoc est super normis pro notandis libris : 5. Nihilominus exceptam esse Constitutionem Benedicti XIV *Sollicita ac provida*, quae adhuc vim legis habere decernitur.

3. Modo velim aperias *Index librorum prohibitorum*, ibique decurras omnia et singula, quae recensentur in Constitutione **Officiorum ac munerum,** videlicet : Regulas Indicis, Observationes, Instructiones, Decreta, Monita, Statuta iussaque praecedentium *hac de re* Pontificum, quae omnia per praefatam Constitutionem indubie abrogata fuerunt. Iisque omnibus singulisque a te attente perlectis, nos secure inquirimus : Quid de legislatione super libris liturgicis ? Nihil, omnino nihil. Quin imo animadvertas, in ipsa Constitutione **Sollicita ac provida,** quam vigere adhuc nova Constitutio **Officiorum ac munerum** statuit, altum de legislatione super iisdem libris liturgicis silentium servari.

4. Neque opponas paragraphum quartum *Decretorum*, quorum obiectum sunt : **Quaedam ad Ritus Sacros spectantia quae prohibita sunt.** Nam, uti ex ipso titulo abunde patet, non de libris liturgicis aut ritualibus ibi agitur, sed tantum de quibusdam ad sacros ritus pertinentibus. Ergo impossibile est, ut ibi legislatio habeatur Codicum liturgicorum. Quod ut clarius spectes, notabimus, ibi agi: 1. De benedictionibus ecclesiasticis non approbatis : 2. De exorcismorum diversis formulis : 3. De litaniis omnibus non contentis in libris liturgicis : 4 De Missalium exemplaribus post edictum S. Pii V, praesertim, quae *Venetiis* apud *Iunctas*, *Sessas* , *Mysserium* , et ad *Signum Syrenae*, atque *Europae*, aliisque omnibus ab anno 1596 impressis : 5. De officiis B. Mariae Virginis vel Sanctorum aut Sanctarum, aliisque huiusmodi : 6. De Ritibus Syni-

cis, eorum controversiis, aut eorum occasione exortis libris : 7. De additionibus factis aut faciendis, post reformationem Pauli V, Rituali Romano : 8. De Rosariis quibuscumque de novo inventis aut inveniendis. Nemo proinde sibi persuadebit, in hoc paragrapho agi de legislatione librorum liturgicorum. Nam *a)* perspicuum est, non ibi Codices prohiberi liturgicos, sed tantum partes aliquas, quas aut auctoritas privata illis addiderat, aut humana malitia corruperat, aut corrumpere facile poterat. *b)* Insuper vix aliqua ibi nominantur Missalia prohibita, uti legentibus patet ; sed ne verbum quidem de Pontificali, de Caeremoniali Episcoporum de Missali in genere, de Breviario, de Rituali Romano.

5. Neque item opponas verba *quodvis aliud decessorum* Leonis XIII **hac de re** *statutum iussumque*, de quo nova Constitutio **Officiorum ac munerum.** Etenim **quodvis aliud statutum iussumque,** de quibus praefata Constitutio, relationem dicunt necessariam ad ea, de quibus in Constitutione agit ; hinc non dicitur simpliciter *quodvis aliud statutum iussumque* decessorum nostrorum , sed , *quodvis aliud statutum iussumque* **hac de re**. Quid autem **res ista** est, nisi illa, de qua in Constitutione agitur, et quae paulo ante expressa est ? Atqui paulo ante Constitutio locuta erat de Regulis Indicis, de Observationibus, de Decretis antiquis etc. quae sacrum Consilium notandis libris dirigere debent. Ergo verba *quodvis aliud statutum iussumque* extendi ad aliud obiectum nequit, quin vis Constitutioni, illius sensui, iisdemque verbis inferatur (1).

(1) Hoc probe consideret perpendatque cl. dissidens Arthurus Vermeersch, qui in dictis verbis « **quodvis aliud .. statutum iussumque** » tantopere insistit ; sed verba HAC DE RE ad alium sensum trahit, qui videtur nobis Summi Pontificis sapientiae repugnare. Plane intelligimus, cl. dissidenti maxime prae

Cum ergo Constitutio **Officiorum ac munerum** solas pro obiecto habeat *Regulas Indicis, Observationes, Instructionem, Decreta, Monita, et quodvis aliud hac de re statutum iussumque* pontificium, in quibus omnibus, nil de legislatione habetur librorum liturgicorum, consequens omnino est, ut illius obiectum toto caelo differat ab alio, quod proprium est antiquarum Constitutionum super libris liturgicis.

6. Si autem inquiras, qua ergo de causa in § 18 cap. VII Constitutio **Officiorum ac munerum** de liturgicorum librorum editionibus se occupet, in promptu responsio est. Quia, nempe, prohibitio cuiuscumque libri, sit sacer, sit profanus, sit asceticus, sit mysticus, sit etiam liturgicus, sit cuiuscumque alterius naturae, id obiectum constituit S. Cong. Indicis. Quinimo quodcumque Opusculum, quaecumque additio, quaecumque mutatio in Codicibus quibuscumque Ecclesiae, consequenter et in liturgicis, statim ac prodit in lucem, provinciam ingreditur eiusdem Cong.nis Indicis. Quod nihilominus non vetat quominus a Sacra quoque Rituum Cong.ne aliquid prohiberi possit, si sacros Ritus respiciat, uti comprobatur de iis quae in paragrapho IV Decretorum Cong.nis Indicis recensentur, quippe quae ab ipsa quoque S. R. Cong.ne fuere prohibita. At, aliud est munus, Cong.ni Indicis inhaerens, libros prohibendi, vel etiam poenas pro eos legentibus infligendi, et aliud est disponere ea quae in liturgicorum librorum edi-

---

dicta prima verba favere, si altera quae sequuntur Constitutio non addidisset ; at verba Constitutionis omnia et singula perpendenda sunt, ut sensus totius contextus manifestus fiat. Hoc posito, facile patet, *quodvis aliud statutum iussumque*, ad antiquas Constitutiones Pontificias, vel ad alia Decreta, quae editiones spectant liturgicas, non posse referri, quia verba « **hac de re** » id impediunt, uti logica docet.

tionibus servanda sunt, cum duo sint prorsus inter se diversa. Illud obiectum constituit S. Cong.nis Indicis : hoc de illius provincia nec fuit, nec esse videtur impraesenti. Iure proinde paragraphus 18, cap. VII Constitutionis **Officiorum ac munerum** iubet, in novis liturgicorum Codicum editionibus nihil immutandum, secus easdem editiones esse prohibitas. Verum ex eo deducere, in dicto paragrapho novam contineri legislationem pro libris liturgicis edendis, quae veterem destruat, hoc esset duas res omnino distinctas in unum confundere, quod admitti posse non credimus.

7. Hoc posito, cum existere haec legislatio pro liturgicis Codicibus necessario debeat, nunc ubi habeatur breviter dicendum est, ut utriusque obiecti discrimen magis magisque innotescat, illius nempe quod in veteribus, et illius quod in nova Constitutione continetur. Sed res ista nullius laboris est, cum sufficiat aperire praecipuos ex libris liturgicis, et quae iis Constitutiones praeponuntur inspicere. Codex primus est *Pontificale Romanum* ; et ei in specie praemittitur Bulla Ex quo in Ecclesia Clementis Papae VIII, praemittur et alia Quamvis alias Urbani VIII. Est alterum, *Caeremoniale Episcoporum*, eique praemittuntur Bullae : Cum novissime Clementis VIII, Etsi alias Innocentii Papae X, Quod Apostolus Benedicti XIV et aliae. Item habetur *Missale Romanum* ; et celebris est maxime quae ei praeponitur Bulla Quo primum S. Pii V, uti et altera Clementis VIII Cum Sanctissimum. Aperias *Breviarium*, in eoque pariter legere est ei praemissas Bullas S. Pii V Quod a nobis, Clementis VIII Cum in Ecclesia etc. Habes denique *Rituale Romanum* ; et ei pariter praemittitur Bulla Benedicti XIV Quam ardenti studio, altera Pauli V Apostolicae Sedi etc. etc. Hae sunt plus minusve antiquae Constitutiones quae veram absolutamque continent legislationem pro libris liturgicis. Haec autem in sequentibus praecipue consistit, uti ex Bullis supra citatis, aliisque,

quas innuimus, inter se collatis, facile patet: *a*) Quodcumque Missale, Caeremoniale Episcoporum, et Breviarium, alias praeseferens formas a praescriptis, prohibita sunt, illisque utens pro Missa rem illicitam facit, pro aliis duobus non satisfacit. *b*) Ritus et caeremoniae in omnibus Codicibus liturgicis inscriptae, servandae sunt ab omnibus (1), qui iisdem Codicibus uti debent. *c*) Facultas pro novis eorumdem librorum editionibus typis mandandis, ab auctoritate locali requiritur. *d*) Novae editiones conformes esse debent authenticis iam approbatis, seu typicis, ut nil addi, demi aut mutari in iis possit. *e*) Editio authentica seu typica prae oculis consequenter habenda est a typographis. *f*) Auctoritas localis ecclesiastica attestari debet in novis editionibus, has cum authenticis plane concordare (2). Hinc patet, multiplicem esse legem libros liturgicos concernentem, quam nullo pacto nova Constitutio attingit, si a mutationibus, ob quas invectas libri liturgici prohibentur, abstrahas: ut novae Constitutionis obiectum ab obiecto antiquarum vix aliquid communis habeat.

8. Quod si ceterum ex hypothesi admittatur, novam Constitutionem revera se sufficere antiquis, quod falsum demonstrasse credimus, hoc sequeretur grave satis, si quid

(1) An ex praecepto, uti credimus, an ex consilio Ritus et Caeremoniae quae in Rituali Romano continentur, observari debeant, an omnes sint praeceptivae, an aliquae directivae, non est hic locus dicendi: generice loquimur.

(2) Eiusmodi iussum explicite respicit Missalium et Breviariorum editiones: sed a multo iam tempore consuetudo invaluit, quam S. R. C. approbat, ut servetur etiam pro editionibus quorumcumque librorum liturgicorum: idque non solum ab Ordinario relativo, sed etiam a S. R. Cong.ne adimpletur: adeo ut liturgici Codices extra Urbem impressi duplici attestatione gaudeant.

videmus, incommodum, Codices nempe liturgicos inferioris esse conditionis, quam alios quoscumque libros. Quid enim nova Constitutio decernit in paragrapho decimo octavo, capite septimo? Liturgicos libros nemo immutare praesumat, secus iidem libri sunt prohibiti. Non ergo requiritur facultas Ordinarii loci, aut in Urbe S. R. Cong.nis, ut ii cudantur: non requiritur amplius attestatio competentis Auctoritatis de conformitate novarum cum authenticis editionibus: ne ipsa quidem requiritur simplex approbatio Ordinarii in forma communi. Ratio patet, quia Constitutio **Officiorum ac munerum** de his ne verbum quidem; sed exigit tantum, ut novae cum iam approbatis perfecte cohaereant. At ubi iudex, ubi testis, ubi documentum aliquod, vel alius quicumque modus, ex quo constet lectoribus, et maxime S. R. Cong.ni, cui librorum huiusmodi cura demandata est, novas editiones authenticis esse conformes? Novas ergo editiones librorum liturgicorum cogeretur S. R. C. in potestatem aut arbitrium typographorum relinquere: qui vi novae Constitutionis ne tenerentur quidem eidem Sacro Tribunali rationem reddere, utrum nec ne sint authenticis plane conformes. Et nihilominus nemo nescit, cum de aliis libris agitur, aut Sanctae Sedi, aut alicui ex Romanis Cong.nibus, aut loci Ordinario, illorum censuram et approbationem reservari. Quis haec auderet asserere aut sustinere? Et tamen a dissentientibus quaerimus, an incommodum istud, posita nova Constitutione ceteras antiquante veteres, de quibus supra, logice nec ne ac ulla sine difficultate derivet?

9. Affirmative reponit cl. Pennacchi, scribens: « Ex lectione paragraphi apparet autem (*non tantum apparet, nos clamamus, sed tanquam certum consectarium oritur*), singulis facultatem libros liturgicos imprimendi factam esse, cum et nemo excipiatur, et nihil requiratur aliud, nisi conformitas cum editionibus authenticis. Qua de cau-

sa Editores et Typographi quicumque ob eiusmodi a Leone XIII concessam licentiam (*quam nos absolute negavimus*) possunt quoscumque libros liturgicos imprimere, id unum prae oculis habentes (*si tamen turpis lucri cupiditas eorum oculos non obumbret*), ut novae editiones sint plane conformes editionibus authenticis, cum sin minus ipso facto *proscriptae* mansurae sint (*quis tamen de his iudicabit?*); hinc neque facultate S. Cong.nis Rituum, neque Episcoporum licentia pro eiusmodi novis editionibus conficiendis, post Leonis XIII Constitutionem, indigent (*In Constit. Apostol. etc. brevis Commentatio, n. 56, pag. 156*) ».

At dices : huic consectario opponitur paragraphus 33. Nequaquam, respondet illico praecitatus cl. auctor ; « ibi enim agitur de edendis Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum; libri liturgici autem nec sunt Decreta, nec sub nomine Decretorum veniunt (*Ibid. loc. cit.*) ».

At subiunges : opponitur paragraphus 41, *qua Christifideles tenentur praeciae censurae ecclesiasticae subiicere libros, qui divinas Scripturas, S. Theologiam etc. respiciunt.* Minime gentium, cum eodem praecitato auctore, cuius ipsamet est difficultas, reponimus. « Etenim inter libros ibi recensitos non recensentur libri liturgici; ea deinde paragrapho agitur de Institutionibus, aliisque lucubrationibus, ab variis auctoribus in Sacras Scripturas, Theologiam, Historiam ecclesiasticam confectis : at libri liturgici tales non sunt (*Ib. loc. cit.*) ».

Obiicies denique paragraphum 44, *qua Typographis et Editoribus significatur, novas eiusdem Operis approbati editiones novam approbationem exigere.* Sed cum iterum praecitato cl. Pennacchi, qui hanc eamdem sibi proponit difficultatem, respondemus : Haec obiectio quavis vi destituitur; « nam libri liturgici nec Opera sunt, nec nomine Operum veniunt (*loc. cit.*) ». Haec autem adeo gravia

sunt, ut ipsemet pluries relatus auctor doctrina, quam tradit, exterrefactus quasi concludat: « Equidem **dubitamus vehementer**, an haec concessio duratura sit; sed usque dum non revocetur, sententia a nobis propugnata vera ac certa videtur (*ibid.*) ». Cl. autem Vermeersch non possumus contradicere, asserenti, eamdem cl. Pennacchi sententiam et sui esse et cl. Gennari Commentatorum. Sed quin et illius et horum eruditioni, sapientiae ac doctrinae vel minimum detrahamus, ab iis quaerimus, utrum praefatum incommodum, ex qua tanta librorum liturgicorum deiectio palam sequitur, admitti nec ne debeat aut possit.

10. Nunc pro coronide notare velis, veteribus Constitutionibus antiquatis, immo quovis alio statuto iussuque circa liturgicos codices abrogatis, a fortiori abrogata iudicanda sunt quae habentur in paragrapho IV Decretorum, quae explicite nominat Constitutio **Officiorum ac munerum,** ut superius visum fuit. Ergo benedictiones omnes ecclesiasticae, etiam sine approbatione S. R. Cong.nis non amplius sunt prohibitae, dummodo divisim edantur ab aliis, quae in libris liturgicis inscribuntur. Similiter Exorcismorum formulae diversae, dummodo in Rituali Romano non inserantur, nulli etiamsi Ordinariorum revisioni subiectae, amplius non sunt prohibitae. Item Litaniae plures, septem Dolorum Deiparae, ex. gr., SS. Eucharistiae, Crucifixi etc., dummodo seorsim a Rituali cudantur, ulla sine Ordinarii approbatione, permittuntur (1). Idem dicas de Missalibus in dicto paragrapho prohibitis, de Officiis Deiparae, de Ritibus synicis, de aliis Rituali Romano additionibus factis vel faciendis, divisim tamen ab illo editis, de Rosariis de novo inventis aut inveniendis. Haec omnia, inquimus,

(1) Id quidem vi praesentis Constitutionis illas proscribentis: licet Cap. VII § 19, eiusdem Constitutionis iterum prohibeantur.

iam amplius dici prohibita nequeunt, iuxta praelaudatos, ceterum omni reverentia dignissimos Commentatores. Ratio est, quia dictus paragraphus indubie vim suam amittit per novam Constitutionem: omnes Constitutiones antiquae libris liturgicis praemissae vim suam pariter amittunt, iisque nova sufficitur: quodvis aliud statutum iussumque circa legislationem eorumdem librorum abrogatum quoque est. Quid ergo in praesenti circa hos libros permittitur, quid prohibetur? Totum permittitur hoc uno excepto, quod prohibetur, rei cuiusvis mutatione. Hic quidem noster sentiendi modus: quo fortasse a veritate alieno, quod inter possibllia ponimus, intimos sensus exprimimus, ut liturgicorum Codicum dignitas et auctoritas meliori ratione tueantur.

11. Antequam lectores nostros deseramus, cl. Vermeersch plenius satisfacere, uti spopondimus, necessarium iudicamus. Ab eo appellata fuit *mira* impugnatio nostra, non solum *termino suo*, sed etiam *argumentis* suis. De illo, et partim de his, in notis diximus, nunc liberius de reliquis hoc ipso in corpore dicemus. Cl. auctor videat ante omnia quanto iure ad responsa et Decreta provocavimus, lata ante praesentem legem; quia illa non sunt *statuta et iussa* **hac de re,** sed de re alia, de qua Constitutio praesens non loquitur, proindeque in suo robore manent. Hinc merito diximus novam Constitutionem supponere Decreta praecedentia, quae non destruit, quamadmodum lex posterior non destruit anteriorem, cuius obiectum est a primae diversum, quamvis aliqua inter utramque intercedere possit relatio. Iure pariter ob eamdem rationem appellavimus ad Decreta, quae in primo volumine novissimae Collectionis inserta fuere. Ratio autem quam in promptu ipse habuit, vim non possidet; quia etiam in praesenti pergit adhuc Commissio liturgica Decreta eiusdem generis in altero Volumine Collectionis inserere, quae neque ex mandato ullo

neque in se inspecta, aut in parte aut ex toto, suppressa sunt. Quomodo autem cl. dissidens conclusiones, quas *Ephemerides* intulerunt, probare posset? Abrogatae pro eo sunt Constitutiones veteres libris liturgicis praemissae, abrogatus est paragraphus IV *Decretorum*, abrogatum est pro eo quodvis aliud statutum iussumque; unde ergo accipit probationes? Ipse dicat, easque afferat. Videat potius quomodo alias oppositas certeque falsas e sua sententia derivent. Insuper concedimus, haud nimis esse urgendam rationem auctoritatis. Nihilominus animadvertat cl. Vermeersch, plurimum conferre ad obscurae legis intelligentiam, eloceri de mente legislatoris, secundum quam lex obscura interpretanda est: quod etiam facere in casu studuimus. Hoc autem non est profecto inducere novum, sed ad veterem bibere fontem Iuris. Denique *mira* asseritur Ephemeridum impugnatio *ex ipsis conclusionibus*. Quare? *a)* Quia *in tertia conclusione (Ephemerides) non dicunt prohibitas nisi eas* « **Missalis et Ritualis Romani editiones, quae aliis approbatis non cohaerent** ». Sed primo reponimus: cl. Vermeersch admittit ne substantiale discrimen inter has duas propositiones, **Caius est verax**, et, *non-nisi* **Caius est verax**? Haec consideret cl. dissidens, exoramus: reliquum silemus. Secundo: omnes conclusiones illatas, inter quas tertiam, studio illo in articulo inseruimus; quia leguntur in § IV Decretorum Indicis, proindeque abrogatae fuerunt, et nihilominus vi Constitutionum aut Decretorum S. R. Cong.nis, vigent adhuc. Quod si tertia conclusio in § 18 novae quoque Constitutionis **Officiorum ac munerum** habeatur, nil nostra interest: qua talem eam admittat cl. Vermeersch, sed reliquas, salvis Logicae regulis, nequit admittere. *b)* Quia quartae conclusionis parti tantum uni opponitur, non toti, hoc est: quatenus *inscriptam* dicta illatio *exigit specialem approbationem partibus Breviarii, quae seorsum edantur*. Reponimus, praefatam

illationem quartam duas continere partes: quarum altera respicit *specialem approbationem*, altera eiusdem approbationis *inscriptionem* in Breviarii partibus separatim editis. Cl. Vermeersch huic refragari, illi favere asserit; at non *asserta* curamus nos, sed *probata*. Nova Constitutio ne verbum quidem habet, nec de *probatione*, nec de eius *inscriptione*: qua ergo logica illam admittit, hanc negat? Id quoque cl. dissidens meditetur: aliud praeterimus. *c*) Asserit denique, se ne habuisse quidem cogitationem tribuendi alicui *facultatem*, inconsulta Sede Apostolica, *condendi formulas exorcismorum, benedictiones rituales, de quibus in 1, 2 et 5 conclusione*. Esto, reponimus; sed nova Constitutio id ne prohibet? Nequaquam. Prohibet paragraphus IV *Decretorum*; sed abrogatus est. Prohibent alia statuta et iussa; sed pro eo haec quoque abrogata sunt, ergo. Nec ipsi iuvat dicere, Ritualia novas formulas exhibentia, esse prohibita, *quia non sunt conformia authenticis* editionibus. Etenim, dummodo *in authenticis editionibus... Breviarii nemo quidquam immutare praesumat*, novae formulae non sunt per dictam Constitutionem prohibitae; cum non agatur de novis editionibus, sed tantum de novis formulis exorcismorum, benedictionum extra Rituale: quas prohibitas nova Constitutio non declarat, et alia iussa, statuta, Decreta, eas prohibentia, pro ipso sunt abrogata. Videat ergo cl. dissidens, et animadvertat.

# AD QUAMDAM CENSURAM

## RESPONSIO

In numero 462 (Iunius 1898) Ephemeridis gallicae « Revue des Sciences Ecclesiastiques » quae Insulis (Lille) evulgatur, ad pag. 562 legimus :

*Consecratio altaris a Regulari praelato facta absque speciali indulto.*

In *Ephemerid. Liturgicis* (Aprilis 1898 pag. 222) solutionem sequentis dubii pro Briocensi dioecesi legimus : « Consecratio altaris a regulari abbate etsi benedicto et mitrato peracta, nisi privilegium apostolicum accedat, invalida est. Potestas enim ordinaria abbatis ad hoc non extenditur ; ideoque vitium in casu attingit substantiam. Quod autem ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Ita Ius (*Reg.* 29) ».

Sequenda ne est haec sententia ? Vel potius est ne dicendum : *talis consecratio est illicita, non vero invalida?* Iuxta Decretum a S. Rituum Congregatione datum (*Brachaven.* 27 Augusti 1707) ita dicendum videtur. Huius citatio plus valet quam omnia ratiocinia.

1. An Abbates, priores, guardiani et alii religionum praelati possint benedicere paramenta, et vasa sacra ad usum propriarum ecclesiarum ?

2. Utrum benedicere possint vasa, in quibus sacra unctio adhibetur, pro servitio tam propriarum ecclesiarum, quam etiam saecularium ? et quatenus negative

3. An eadem paramenta, et vasa sacra sint denuo benedicenda, et respective consecranda et quomodo providendum ?

Eadem S. R. C. respondendum censuit :

Ad 1 et 3 : Negative.

Ad 2 : quoad primam partem quoad habentes usum pontificalium, affirmative : quo vero ad non habentes usum pontificalium, negative. Et quoad secundam partem negative. Die 27 Augusti 1707.

Hic quidem sermo non est de altarium benedictione : sed cum Abbatum facultates eadem limitatione coarctentur, sive quod spectat calicum consecrationem sive illam altarium, non potest extendi ad altaria illud, quod de calicibus dicitur ?

Fr. L. Potevin O. S. B. »

Ita praedicta Ephemeris. Sed, re bene perpensa, assentire non possumus talibus conclusionibus, nostrasque retinemus. Eapropter ut veritas sententiae nostrae magis patescat, nonnulla adnotabimus.

1. Bene perpendenti Decretum in *Bracharen.* clare apparet ideo Abbates posse benedicere vasa, *in quibus sacra unctio adhibetur*, quia habent *usum pontificalium*. Quod si non habeant huiusmodi usum, talis benedictio illis interdicitur. Ideoque patet etiam, usum pontificalium et per consequens benedictiones in quibus unctio sacra intervenit, non competere illis iure ordinario, sed ex privilegio ; alioquin omnes Abbates et pontificalia et benedictiones peragere possent. Quod ex Decreto non eruitur, imo eruitur contrarium. Sed doctrina haec, in quantum fundatur in dicto Decreto, *Bracharen.* omnem vim amittit, quia Decretum istud e nova Collectione expunctum est ; ut videbunt lectores quando Volumen secundum novae Collectionis in lucem prodibit.

2. Contra hanc doctrinam stat alia, quam tradit De Herdt, nempe : « Abbates aliosque usum pontificalium habentes, *per se* calices et patenas consecrare non

posse, constat ex Decretis S. R. C.; sed tantum ex privilegio et pro usu ecclesiarum sibi subiectarum (*Prax. Lit.* Vol. I. n. 172, 2°). » Decreta vero, ad quae alludit cl. De Herdt sunt Decr. *Tirasonen.* d. d. 16 Maii 1744 (4159 - 2377) ad 1.m; Decret.. *in Goritien.* d. d. 18 Augusti 1770 (4352-2488) et alia quae invenire est in nova Decretorum Collectione. In istis Decretis explicite statuitur Abbates, aliosque Superiores Regularium non posse per se illas benedictiones peragere in quibus sacra unctio intervenit. Iuvat referre ipsa verba Decreti in *Tirasonen.* « An liceat Abbatibus aliisque Pontificalia ex Privilegio exercentibus benedicere campanas, vasa sacra et alia, quae sacro Chrismate liniuntur ; nec non vestes sacras et alia in quarum benedictionibus Chrismatis unctio non requiritur ? » Responsum vero fuit : « Ad 1. Quoad primam partem non licere, nisi habeant S. Sedis privilegium ; quoad secundam licere ».

Perpendamus aliquantulum verba huius Decreti. Quaeritur igitur si Abbates aliique Pontificalia ex privilegio exercentes, possint etiam benedictiones in quibus *sacra unctio* intervenit, peragere ; et responsum est : negative. Itaque doctrinae, quae in Decreto *Bracharen.* tradebatur, per praesens Decretum contradicitur. In primo enim decernebatur, Abbatem eo ipse quod usum Pontificalium habet, posse etiam benedictiones, in quibus sacra unctio intervenit, peragere. In secundo vero statuitur, privilegium Pontificalia peragendi nullo modo includere alterum privilegium benedicendi vasa sacra et alia, quae sacro Chrismate liniuntur , sed aliud privilegium pro istis benedictionibus peragendis necessarium esse. Cum ergo Decretum in *Bracharen.* e nova Collectione, uti diximus, expunctum sit ; patet doctrinam quam, nunc S. R. C. tenet, esse illam, quae in Decreto *in Tirasonen.* ponitur, ac a nobis in solutione dubii pro dioecesi Briocensi traditur. Doctrina haec

alio Decreto magis comprobatur, estque illud quod iam citavimus in *Goritien.* Quidam Abbas supplicem libellum ad S. R. C. misit, ut illi et suis successoribus concedere dignaretur nonnulla privilegia, praeter contenta in Decreto Alexandri VII d. d. 27 Septembris 1659. S. R. C. rescribendum censuit: « Consulendum SS.mo pro concessione indulti, iuxta modum ab E.mo Ponente explicandum: videlicet, ut liceat Abbati eiusque successoribus, tribus aliis vicibus in Ecclesiis sibi subiectis pontificaliter celebrare, nec non aliis duabus vicibus in Ecclesiis sibi non subiectis; quatenus tamen ab Episcopo loci ordinario, non autem a Praelato inferiori, rogati fuerint . . . . ; ac denique ut, pro usu Ecclesiarum sibi subiectarum tantummodo, liceat eis benedicere sacra indumenta et suppellectilia, Cruces, Imagines, Vasa sacra et Campanas, nec non consecrare Calices, Patenas, et Altaria tantum portatilia... ».

Ex his, nobis videtur posse licite concludi: *a*) Benedictio in qua sacra unctio intervenit, Abbati, etsi benedicto et mitrato, non competit iure proprio, sed ex privilegio. *b*) Abbas in casu, qui non habet ex concessione Apostolica privilegium istud, *invalide* consecrat etiam pro Ecclesiis sibi subiectis, vasa, altaria etc. Stat enim principium nostrum: « quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere ». *c*) Abbas qui pro Ecclesiis sibi subiectis privilegio gaudet illas faciendi benedictiones in quibus sacra unctio intervenit, si dictas benedictiones peragit in alienis Ecclesiis, *illicite* non vero *invalide* illas peragit. Habet enim potestatem hanc, quamvis non habeat usum eiusmodi facultatis. Eapropter pro coronide cl. scriptori gallicae Ephemeridis, qui sciscitatur consecratio, de qua supra, potius dicenda sit *illicita*, quam *invalida*, respondemus: Benedictio altaris et cuiuscumque alius obiecti in qua intervenit sacra unctio, si fiat ab Abbate, quamvis benedicto et mitrato, nempe qui usum ponti-

ficalium habeat, absque privilegio Apostolico, *invalida* est; si vero istud privilegium habeat tantum pro Ecclesiis sibi subiectis, ac aliquam ex istis benedictionibus peragat in Ecclesiis sibi non subiectis, *illicita* tantum dicenda est.

---

# SOLUTIO QUAESTIONIS

## pro mense Augusto 1898 propositae (1).

PROPOSITIO.

Symbolum in Missa solemni vel Pontificali rectene dicitur alternatim a Celebrante cum Ministris? Erui ne aliquid potest ex Rubricis, ex Auctoribus, ex recto sensu Liturgico?

SOLUTIO.

A Rubricis, a Decretis S. R. C., ab Auctoribus, nec ne a recto sensu Liturgico *Symbolum* in Missa solemni ac Pontificali, non alternatim a Celebrante cum ministris, sed una, simulque esse recitandum plane apparet.

Rubricae Missalis Romani, Caeremoniale Episcoporum, Decreta S. R. C. ad rem adducta, unanimis S. Liturgiae Auctorum consensus, atque ipsa ratio Liturgica lumen nobis exhibent, ut tuto ad calcem propositum perveniamus sine periculo in errorem labendi

Huiusce prima in parte argumentationis de Missa solemni, in altera de Missa pontificali loquemur.

Quid ad hoc dicat Rubrica inspiciamus: «.... Cum vero (*Celebrans*) intonat Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis: postea ascendunt ad Altare, et hinc inde, Diaconus a dexteris, Subdia-

---

(1) Tres ad nos datae fuerunt propositae quaestionis solutiones, quarum altera Rev. Nivardi Bossi, Parochi, altera cl. Anastasii Fourneret, item Parochi, tertia vero Rev. Felicis Ravanat, Doct. Primam selegimus.

conus a sinistris, cum Celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem . . . » (1) « . . . Postea stans (*Celebrans*) in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo*, stantibus post eum Diacono et Subdiacono: deinde ad Altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad *Gloria in excelsis*. » (2)

Quomodo ab Auctoribus antiquis, ac recentioribus ista Rubricae verba exponantur audiamus, ab antiquoribus incipientes.

*Bauldry* omni claritate hunc locum explanat dicens: « Dum cantatur a Choro *Et in terra pax*, Diaconus et Subdiaconus in locis suis genuflectunt, non prius: tum Diaconus stans in secundo gradu, aliquantulum recedit versus cornu Epistolae expectans paulisper Subdiaconum, qui ascendit ad eumdem gradum paulum versus cornu Evangelii, et sic ambo hinc inde simul ascendunt ad latera Celebrantis (quod semper faciunt dum ascendunt ad Altare), ubi non iterum genuflectunt, sed stantes manibus iunctis, et submissa voce, totum Hymnum recitant *simul et non alternatim*, non praeveniendo, sed potius Celebrantem subsequendo, ita ut ipse Celebrans aliquantulum altius quam illi recitet, quod semper facere debent in simili casu cum eo se inclinantes, et se signantes in fine et cum dicunt *Amen* iungunt manus (3) . . . . Celebrans, postquam incensatus fuerit, procedit ad medium altaris ubi incipit Symbolum . . . . Tum, et non prius, Diaconus et Subdiaconus, qui stant post eum, ut ad *Gloria in excelsis*, genuflectunt, et accedunt ad latera ipsius Celebrantis, ubi cum eo prosequuntur Symbolum, manibus iunctis, et genuflectunt, sicut omnes alii Ministri, dum dicunt: *Et incarnatus est etc.* » (4)

Quamvis omnes caeremoniae a praefato Auctore traditae non sint probandae; nihilominus, in eo quod casum pertinet nostrum, indubie sequendus est cum Rubricis adhaereat.

*Merati* cum sequitur, « Praefati sacri Ministri, inquit,

(1) Ritus celebrandi Missam tit. IV, n. 4.
(2) Id. tit. VI, n. 5 versus finem.
(3) Manuale Ss. Caerem. P. III, c. 11, art. 5, n. 2.
(4) Id. art. 6, n. VII.

stantes ibi manibus iunctis, et submissa voce, TOTUM Hymnum recitant simul potius subsequendo Celebrantem; et sic prosequuntur usque ad finem praedicti Hymni, inclinantes se, et signantes cum eo, et cum dicunt *Amen* iungunt manus..... Eumdem Hymnum eodem modo prosequuntur qui sunt in Choro...» (1)

« . . . . Celebrans vere dum dicit *Credo* extendit et elevat manus, dum dicit *in unum* iungit manus ante pectus, dum dicit *Deum* caput ipse quoque Cruci inclinat: tunc et non prius scilicet post vocem illam *Deum*, facta suis in locis ab utroque Ministro genuflexione, ascendunt ad Celebrantem.... et cum eo manibus iunctis prosequuntur Symbolum, ut et alii de Choro, sicut dictum est de Hymno *Gloria in excelsis*, inclinantes ad ea verba, quae inclinat Celebrans. Cum vero dicunt Celebrans et Ministri submissa voce verba illa *Et incarnatus est*, praefati Ministri Sacri genuflectunt cum Celebrante..... In fine Symboli quando dicunt *Et vitam venturi saeculi*, manu dextera se signant signo Crucis, sinistra pectori admota, distribuendo praedictas voces, ut in Missa privata dictum est, sicut et in fine iungunt manus, ut ibi facit Sacerdos. » (2)

Hic quoque Auctor perspicue demonstrat Sacros Ministros simul cum Celebrante proferre verba, et caeremonias omnes peragere debere.

*Cavalerius* perspicuis verbis eamdem profitetur opinionem. Postquam affatus est quod ad Celebrantem pertinet, de ministris ita inquit: « Diaconus vero tempestive ascendit ad secundum gradum Altaris in medio . . . . . ibique stat retro dum hic incipit *Credo in unum Deum;* Subdiaconus se constituit ad medium plani post Diaconum . . . . . et dum Celebrans pronuntiat vocem *Deum* . . . . . Diaconus ascendit ad dexteram, et Subdiaconus ad sinistram Celebrantis et cum eo manibus iunctis prosequuntur Symbolum, se inclinantes, signo Crucis se munientes, et genuflectentes ad ea verba, ad quae Sacerdos ipse se inclinato, signat, et genuflectit: sed Sacri Ministri genuflectunt

(1) Apud Gavantum Thes. Ss. Rituum p. II, Tit. IV. n. XXXV.
(2) Id. id. Tit. VI, n. XXXIX.

manibus iunctis, non super Altare positis sicuti Celebrans. » (1)

Quid pluris ? Omnes auctores hanc materiam liturgicam pertractantes uno ore eamdem profitentur sententiam: et nobis sufficiet summatim de antiquioribus aliquos innuere, de recentioribus autem inter primos enumeratos aliquam particulam quae ad hoc respondeat, referemus, ut nostrum argumentum, si opus sit, certius fiat. *Corsetti* cum praefatis ex toto convenit, sed maiore claritate se explicat dicendo : « Subdiaconus recitat *Hymnum totum usque ad finem* » et subiungit quod id etiam servat cum dicit *Credo* (2) : *Laboranti* ab isto minime recedit (3). Ita *Bongiovanni* (4), et Card. *Morozzo* (5), et *Nomsée* (6) et plerique alii cum istis perfecte conveniunt ; sed brevitatis causa superfluum esse eorum mentionem facere arbitramur. Modo autem de auctoribus recentioribus dicemus.

Cl. *De Herdt* ita docet : « Diaconus et Subdiaconus dum Celebrans ad medium Altaris accedit, sine nova reverentia facienda, se sistunt retro post Celebrantem, unus post alium donec integre cantatum fuerit *Credo in unum Deum*. Dum Celebrans cantat vocem *Deum* caput cum eodem inclinant : hac voce cantata, sed non prius, altare ascendunt, Diaconus ad dextram Celebrantis sed lentius et Subdiaconus ad sinistram sed citius, ut simul ad latus Celebrantis perveniant. Cum Celebrante submissa voce totum recitant symbolum, non praeveniendo, non sequendo, sed *concomitanter*, caput inclinant ad *Iesum Christum* et *simul adoratur*, genuflectunt ad *Et incarnatus est* etc. et in fine se signant ». (7) *A Carpo* ad hoc dicit : « .... Diaconus simul cum Subdiacono ad altare perveniat : tum ad dexteram Celebrantis consistens voce submissa recitet cum eo

(1) Opera omnia Liturgica tom. quint. c. 12, n. 65.

(2) Novissima Bart. Corsetti ad instar Caeren. Epis. Praxis. Inst. I, c. III, n. 8, 14, cap. IV, n. 4.

(3) Direttorio Sacro, lib. III, p. 2, tit. IV, n. 77: p. IV, tit. 4, n. 338; lib. II, p. I, tit. IV, n. 26.

(4) Sac. Caer. Silva lib. III, c. VII.

(5) Delle Sacre Cerimonie, Trat. V, n. 55, 58, 89.

(6) Opera Liturgica vol. II, p. 1, art. 3.

(7) Sac. Lit. Praxis. vol. I, n. 321.

Symbolum non praetermittens inclinationem etc. etc. (1). Itidem putat *Cesari* (2) *Ferrigno-Pisone* (3) necne *Ercher* (4). Multi etiam sunt qui eamdem praebunt instructionem, sed ne lectoribus taedium adducamus eorum nomen eloqui non putamus, praetermittere tamen nolumus verba Cl. *Martinucci*, quae nobis de hac thesi erunt prout complementum.

« Absoluto *Kyrie* cantu, Celebrans ritu in Missa privata praescripto intonabit *Gloria in excelsis*: Ad verbum *Deo* Ministri inclinabunt caput, ac sine ulla genuflexione Diaconus ad dexteram. Subdiaconus ad laevam Celebrantis ascendent, idque facient uno eodemque tempore: *Gloria* intonato, Celebrans cum Ministris perget hymnum illum submissa voce recitare. » Inferius subiungit: « Si cantandum erit *Credo*, intonabitur a Celebrante, ritu pro Missis privatis praescripto. Ad verbum *Deo* Diaconus et Subdiaconus inclinabunt caput ac sine genuflexione conscendent suppedaneum ad latera illius et simul cum eo recitent *Credo* quemadmodum de *Gloria in excelsis* dictum est. » (5)

Nobis videtur perdifficile esse, ut alius adsit locus, in quo omnes Liturgici veteres ac novissimi una voce concordent, proindeque sine ulla haesitatione sacros Ministros totum hymnum *Gloria in excelsis Deo* et Symbolum cum Celebrante, regulis perspicuis ab istis traditis, recitare edocemus, et insuper numquam *alternatim* recitare posse confirmamus, quamvis inesset antiqua consuetudo; quia ista Rubricae, documentis Liturgistarum, nec ne S. R. C. Decretis, quae nunc relaturi erimus, perfecto adversaretur. Nunc autem de Missa Pontificali, super qua consulemus pariter Rubricas, inde Auctores Liturgicos, tandem S. R. C. Decreta.

Verba Ceremonialis Episcoporum ad unguem referamus. « Postquam Episcopus incepit, cantando praefatum Hymnum (*Glo-*

(1) Caer. iuxta Rituum Rom. p. 2, n. 171 et 190.
(2) Ceremonie della Messa privata e solenne n. 717.
(3) Catec. Liturgico vol. 2, c. VI, n. 10, et 20, c. VII, 10 et 19.
(4) Enchiridion Liturgicum. Sec. III, Tract. I. caput 5.
(5) Martinucci, lib. II, c. IV, n. 76 et 128.

*via*) prosequitur illum submissa voce cum suis Ministris. Diaconus et Subdiaconus, ac Praelati et Canonici in suis locis idem bini simul faciunt.... Quod si sermo habendus non sit, ipse Episcopus, statim incensatus post Evangelium, conversus ad altare, incipit, cantando ex libro per Presbyterum assistentem, aliis coadiuvantibus, ut supra, sustentato, *Credo in unum Deum*, quod cum suis Ministris submissa voce prosequitur; pariter et Diaconus et Subdiaconus apud altare, et Canonici illud inter se dicunt, et ad Versiculum *Et incarnatus est etc.* Episcopus genuflectit, et pariter omnes de choro genuflectunt. » (1)

Quomodo praefata verba Auctores S. Liturgiae interpretentur, referre nostri erit, a veteribus uti antea incipientes, usque ad recentiores.

*Bauldry* manifestim suam opinionem plerisque in locis aperit: Loquens de Episcopo Missam Pontificalem celebrante inquit: « Postquam Episcopus incepit cantando praefatum Hymnum (*Gloria*) prosequitur illum submissa voce cum suis ministris simul et *non alternatim*. Diaconus et Subdiaconus ac Praelati, et Canonici in suis locis idem bini simul faciunt, si non cantent. . . . . Episcopus incipit cantando. . . . *Credo in unum Deum* quod cum suis ministris, submissa voce prosequitur: pariter Diaconus et Subdiaconus apud altare, et Canonici illud inter se dicunt . . . ». Loquens de Diacono et Subdiacono dicit: « Et cum Episcopus intonaverit Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, ad quem stat, illum etiam stans una cum Subdiacono simul et *non alternatim* recitabit submissa voce . . . . . Cum Episcopus inceperit cantando *Credo in unum Deum*: ipse cum Subdiacono illud voce submissa prosequetur, stans apud altare, ita tamen quod non praeire, sed subsequi debeat Episcopum....» Loquens de duobus canonicis Episcopo in solemnioribus assistentibus, eisdem verbis utitur: « . . . et cum Episcopus dicit *Gloria in excelsis Deo*: illud submissa voce simul et *non alternatim*, complent. » De Symbolo subiungit: « . . . eoque ab eis dicto, secundus imponit Gremiale . . . . (2) ».

(1) Lib. 2 c. VIII, n. 39 et 52.

(2) Par. V. ex sec. lib. Caer. c. 8 art. II. n. 22, c. IX n. 6 et 10.

*Baldeschi* paucis verbis clare dicit: « . . . *il Vescovo si alza e voltato all'altare intuona nel Canone il* GLORIA, *sostenutogli da un Chierico e dal Prete assistente la bugia, e il Diacono e Suddiacono* UNUS POST ALIUM, *quali subito intuonato il* GLORIA *si pongono* HINC INDE *ai lati del Vescovo per dirlo insieme* » (1). Inferius ait: « *Intonato il* CREDO *il Diacono e Suddiacono si portano ai lati del Vescovo* HINC INDE *come al* GLORIA » (2).

*Sillani* ad hoc inquit: « *Cessato il canto del* KYRIE *sorge il Vescovo, e così tutti, ed intuona, rivolto all'altare, il* GLORIA IN EXCELSIS, *sostenendo il libro l'assistente con l'aiuto del ministro, che poi lo tiene solo nella prosecuzione dell'inno, che si fa dal Vescovo cogli assistenti, e dagli altri ai proprii luoghi* (3) ».

*De Herdt* interpretans verba Caeremonialis Episcoporum a nobis relata haec praesertim notat: « . . . *Credo in unum Deum*, quod cum suis ministris (*Episcopus*) submissa voce prosequitur: dicit *simul et non alternatim* » (4).

*Ferigno Pisone* cum praedictis Auctoribus convenit, nec aliud dicit praeter dicta a Baldeschi (5).

Cl. *Martinucci* seriem Auctorum Sacrae Liturgiae absolvat. En quomodo iste satis notus auctor affatus est: « . . . . Intonato ab Episcopo hymno (*Gloria*), Capellanus a libro recipiet Missale a Presbytero assistente, et prosequetur illud sustinere ante Episcopum, ac Presbyter assistens redibit ad scabellum assistentiae. Canonici et Clerus in choro bini inter se recitabunt hymnum praedictum. Recitato hymno ab Episcopo, recedunt Capellani a libro et scotula, et haec referent ad abacum et prope thronum redibunt. Episcopus sedebit ». Quoad Symbolum subiungit: « Postquam Presbyter assistens adoleverit Episcopum.... intonabit *Credo* et Chorus prosequitur. Presbyter assistens, ubi Episcopus intonuerit *Credo*, restituet librum apertum Capella-

(1) Tomo III. c. I. art. IV n. 26.
(2) Ibid. art. V. n. 36.
(3) Manuale dei Sacri Riti n. 281.
(4) Praxis Pontificalis vol. II. n. 101 lit. a.
(5) Vol. IV. c. I. sess. II. c. II. n. 28. et 41.

no, qui continuabit illum sustinere ante Episcopum donec ex toto recitaverit (3) ».

Caeremoniale Episcoporum dictis universi, etiam hic, S. Liturgiae auctores, hanc materiam examinantes, unanimi concordant consensu : propterea quod iterum non dubitamus nostrum argumentum confirmare dicentes, quod Episcopus, Assistentes, Sacri Ministri, Canonici, etc. *Gloria* et *Symbolum* integre, non iam alternatim, recitare teneantur. Ut ulterius firmemus nostram thesim, nunc ad auctoritatem S. R. C. transimus.

Unum decretum, quod ad hoc facit, nobis est. Anno 1871, sequens quaesitum S. R. Congregationi exhibitum fuit. « Quaer. V. Cum nonnulli existiment Hymnum : *Gloria in excelsis*, et *Credo* in Missa dici debere alternatim cum Ministris, prout fit a cantoribus in Choro, fundati forsan illis verbis Caeremonialis Episcoporum lib. II. c. 8. n. 39. ubi loquens de *Gloria* dicit : « Episcopus (post intonationem) prosequitur illum cum suis Ministris. Diaconus et Subdiaconus ac Praelati et Canonici in suis locis, idem bini simul faciunt. » Et n. 52. « Episcopus..... cum suis ministris submissa voce prosequitur (*Credo*) ; pariter et Diaconus et Subdiaconus apud altare, et Canonici illud inter se dicunt » : ideo ut uniformitas in praxi existat, quaeritur : Utrum *Gloria* et *Credo* dici debeant alternatim ut *Kyrie*, aut potius unusquisque illa recitare teneatur Episcopum vel Celebrantem non praeveniendo, sed sequendo ? ». *Resp.* « *Gloria* et *Credo* non alternatim a Celebrante et Ministris recitari debent, sed totum ab omnibus est dicendum, non praeveniendo nec sequendo sed concomitanter » (2).

Quidnam hacce declaratione explicitius desideretur ? Sicuti lux meridiana patet quod in Missa, tam Solemni quam Pontificali, Celebrans cum suis Ministris, Episcopus, eius Assistentes, ac Ministri et Canonici totum Hymnum *Gloria* et Symbolum, *non alternatim, non praeveniendo, nec sequendo*, sed *concomitanter* recitare debere.

Rectus sensus liturgicus ad eamdem conclusionem ducit,

(1) Lib. V. c. IX. n. 84, 85 et 104.

(2) S. R. C. Dec. 22 Aprilis 1871 n. 5488, ad V.

maxime quod attinet Symbolum. Si enim convenit, ut hymnus angelicus integre recitetur a Celebrante et suis ministris, quia, saltem partialiter, illum prima vice angeli cecinerunt, in Symbolo habetur professio fidei, cuius gravitas exigit, ut unusquisque eam integre recitet, quemadmodum etiam lex praecipit, ut integre canatur. Hinc Decretum in *Seguntina* d. d. 10 Mart. 1657 ad 3. **1023** (1817), declarat, « abusum huiusmodi minime tolerandum, sed omnino per Episcopum provideri ut integre et intelligibili voce Symbolum decantetur ». Si ergo alicubi dicta consuetudo inducta fuerit, ea uti abusus eliminanda certo erit. Addere liceat pro coronide, ipsum Organum pulsari quidem posse dum Symbolum canitur, sed non inter misceri. Duo decreta ad hoc emissa, quae modo etiam vigent, referimus : « Quaer. An cum dicitur Symbolum in Missa sit intermiscendum Organum ? Resp. Symbolum integre canendum etiamsi pulsetur Organum » (1).

« Quaer. An sonus Organi toto vigore possit intermisceri cum cantu, quando in Missa solemni, seu Pontificali integer Symbolus in notis, seu in cantu Gregoriano et firmo cantatur in Choro ? Resp. Affirmative » (2).

Hinc liquido apparet quod in Missa solemni vel Pontificali ad Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, prout Caeremoniale Episcoporum exigit (1), alternatim cum organi sonu immisceri praedicti Hymni cantus liceret, attamen iste sonus, in antiquis temporibus absolute vetabatur, quare a solo choro erat canendum Symbolum, quod si in posterum utpote ab allatis Decretis necne a prefato Caeremoniale Episcoporum, quod dicit *non est intermiscendum organum, sed illud per chorum cantu intelligibili proferatur*, (4) Legislator de antiqua severitate retrahere voluit organa pulsandi licentiam concedendo, in tempore in quo Symbo-

(1) S. R. C. 7 sept. 1861 n. 5315 ad XVI.

(2) 22 Mar. 1862 n. 5318 ad VII.

(3) « In Missa solemni pulsatur (organum) alternatim cum dicitur *Kyrie, eleison*, et *Gloria in excelsis* etc., in principio Missae : item finita Epistola, item *ad Offertorium* : item ad *Sanctus* etc. alternatim ; ac deinceps usque ad *Pater noster* : etc. lib. I c. XXVIII n. 9. »

(4) Id. id. n. 10.

lum canitur, nihilominus exigit ut sonus cum cantu non alternetur, sed integrum voce intelligibili intermixto sono cum cantu canetur. Qua de causa integrum est canendum ? Ratio est, quod populus, qui est in Ecclesia, totam audiat et integram, non dimidiatam, nostrae fidei professionem (1). *Guillois* recte ad hoc docet : « Pleraque Concilia iubent Symbolum non solum cani sine musica et organo, sed ab omni clero et populo a principio usque ad finem (quod reapse fit in aliquibus Ecclesiis) pro ratione quod, quum Symbolum sit Fidei professio omnium christianorum, canonicus est ut integrum ab unoquoque fidele recitetur » (2).

Testimonia Rubricarum, Decretorum, Auctorum, ac sensus Liturgici rationum summatim praedicta colligentes, inferimus quod tam Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, quam Symbolum tam in Missa solemni cum Ministrorum adsistentia celebrata, quam in Missa Pontificali, sint a Celebrante et respectivis Ministris non alternatim sed integre recitanda, tamen inter utrumque hoc inest discrimen, nempe Hymnum *Gloria* cum organi sonu alternare permittitur ; dum illud pro adductis rationibus non licet absolute alternari, sed integrum est canendum, facultate organi intermiscendi sonum facta.

Nivardus Rossi Miss. Apost.
Pleb. S. Stephani

## QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE OCTOBRI.

Si dies intermedius Expositionis pro Oratione quadraginta Horarum incidat in festum SS.mi Corpori Christi, Missa solemnis potest ne aut debet cantari ad altare Expositionis. Instructione Clementina inspecta ?

(1) Caval. Tom. V. c. XV. de Symbolo n. 65.
(2) Spiegazione Storica ecc. del Catechismo vol. IV Sec. XV.

# APPENDIX

## E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

*Illustrissime et R.me Domine uti Frater,*

Litterae Amplitudinis Tuae die 16 Iunii 1894 datae ad obtinendam authenticam solutionem nonnullorum dubiorum circa praescriptionem delictorum carnis in causis criminalibus Clericorum, remissae fuerunt ad hanc Sacram Congregationem Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam, ad hoc, ut ea, qua ipsa pollet, competentia in re criminali Clericorum, quid in proposita quaestione sentiendum decerneret. Omnibus sedulo perpensis, E.mi Patres in Comitiis habitis die 4 Martii 1898 haec retinenda censuerunt: translatitii scilicet iuris esse, in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem, et quidem nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit; huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse, *ut solam perimat accusationem poenalem,* siquidem per accusatum seu inquisitum, aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit.

Exinde facile est deprehendere, integrum tum accusandi tum inquirendi ius manere usquedum expresse non opponatur praescriptio, et omnino tenere iudicium si eadem opposita minime fuerit.

Quod si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima

recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanat: et hinc, non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis non criminalibus ex patrato delicto provenientibus, manifesti iuris est. Immo licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet, iuxta iuris effatum: « Temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum »; ideoque delictum illud, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obest, si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet.

Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio unius anni: crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum: caetera vero crimina spatio viginti annorum a die commissi delicti continuorum praescribi. Verumtamen si agatur de delictis, quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet nisi a die cessantis delicti: quemadmodum si delictum fuerit *totaliter* occultum, praescriptionem, non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet.

Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati, et adulterii cum incestu coniuncti, nonnisi lapsu viginti annorum praescribatur: criminibus vero suppositi partus, parricidii, assasinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae, nullo umquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivunt, accusari et inquiri possunt.

Quibus omnibus SSmo Domino Nostro relatis, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 21 Martii an. 1898.

Sanctitas Sua sententiam Eminentissimorum Patrum adprobare dignata est.

Haec significanda habui Amplitudini Tuae, cui fausta et prospera omnia a Deo adprecor.

Romae, die 22 Martii 1898.

SERAPH. CARD. VANNUTELLI, *Praef.*

L. ✠ S.

A. TROMBETTA, *Secret.*

## E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

Cum circa Constitutionem *Officiorum ac munerum* huic Sacrae Indicis Congregationi sequentia dubia proposita fuerint, videlicet:

1. Utrum haec verba articuli 5 « *qui studiis theologicis aut biblicis dant operam* » intelligenda *tantum* sint de doctis viris, iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos S. Theologiae Tyrones?

2. An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta a Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur quatenus errores ab Apostolica Sede proscriptos continentia?

3. Utrum excerpta e periodicis capita seorsim edita (*vulgo, tirages à part*) censeri debeant « *novae editiones* », atque proinde nova approbatione indigeant, prout art. 44 requiritur?

4. Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur?

Sacra Congregatio omnibus mature perpensis, sub die 19 Maii 1898 respondere mandavit:

Ad 1um *Negative* ad 1am partem; *Affirmative* ad 2am.

Ad 2um *Affirmative*: si hos errores tueantur seu propugnent.

Ad 3um *Negative*.

Ad 4um *Affirmative*.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Cong. Indicis die 23 Maii 1898.

A Card. Steinhuber *Praef.*

L. ✠ S.

Fr. M. Cicognani, *O. P. Secret.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.